
PER · IACOBVS · ZADZIK

Pravo V

# IVSTITIA
# CAESAREA IMPERIALIS,

*CIRCA DECLARATIONEM BANni, contra Comitem Palatinum Electorem, & circa nuperam Executionem, contra captivos Pragenses.*

## CLARE DEMONSTRATA, ADVERSARIISQUE CALUMniatoribus directè opposita.



ANNO M. DC. XXII.

EPIGRAMMA
*AD*
# FERDINANDUM II.
CÆSAREM, SEMPER
AUGUSTUM.

*Mirandum? perhibent. Dubiâ nec sorte movetur*
*CÆSAR; nec variâ; nec variatur atrâ.*
*Resne aliena agitur? Suspirans, tunc ego. PRIMVS*
*MOTOR hic, immotus fulminat, astra movet.*

# CANDIDO ET VERITATIS AMANTI LECTORI.

MEMBRA pro capite pugnare, alias quidem naturale est. sed tempora nostra sunt talia, vt ab ipsa natura abire velle videantur. adeò multi iam reperiuntur, qui quanto studio caput propugnare deberent, tanto illud oppugnãt. Perlustremus Germaniam nostram. Quid non factum est contra omnium nostrum Caput, Imperatorem Augustissimum? quid adhuc non fit? facta ipsa loquantur. de hoc ego tantum.

Semestre jam est, quod hoc Caput nostrum ex plena scientia & potestate, modo legitimo, atque urgentes ob causas, sententiam BANNI contra Comitem Palatinum Electorem publicaverit. Multi quidem eam tanquam Sacro ore prolatam, uti dignum est, venerantur. at multi quoque ore profano contemnunt, variisque calumniis impetunt. Imprimis nuper anonymus quidam libellum aliquem famosum divulgavit, qui omnium calumniarum quasi compendium, sententiam hanc inanem, nullius valoris, omni Juri & propro Imperatoris Juramento contrariam pronunciat, quam tamen Imperatoria Majestas tanquam omni modo justam proposuerat. Sed quæso, qualis ista personarum oppositio? Alter est, nescio quis, quem saltem, qualiscunque alias sit, proprium scriptum indicat propter malitiam pessimum ca-

lumniatorem, & propter ignorantiam necdum esse JCTUM, sed leguleium aliquem, seu tabulam, imò potius scholarem, qui indicem, farragines locorum communium, & quæcunque obvia sine judicio sequitur. Alter verò est CÆSAR AUGUSTUS, Legum Interpretator & Lator Summus, cujus splendor Majestatis non patitur ullam contra se præsumtionem, cujus Justitia & integritas omnibus est nota, in omnium oculis posita, notæ esse possunt; imò sunt quoque, & mundus eas admiratur, tantum illi non, qui ex suis vitiis cæci sunt, & qui, tanquam ranæ:

*Quæmvis sint sub aqna, sub aqua maledicere tentant.*

Cogitet quæso aliquis in principio, antequam rem ipsam, si forte non noverit, introspiciat, pro utra parte, & contra utram præsumptio facienda sit. Mihi quidem tum hæc Sacratissimæ Imperatoriæ Majestatis consideratio, tum ipsius causæ clara veritas omne dubium ex animo exemerunt, adeoque fermè persuaserunt, ut defensionem hanc qualemcunque pro sententia Banni animo jam conceptam supprimerem: dum mihi persuadebam idem quoque aliis obventurum. Ita quidem adhuc sentio, sed de illis, qui candorem amant. Quid verò de his, qui rebellionibus, fallaciis, mendaciis, calumniisque, his temporibus totam Europam invehunt? Plus nimis patet istos candorem omnem abjecisse, adeoque factis, dictis, & scriptis suis Justitiam & Veritatem secundum omnes vires impugnare. Ut igitur tales absurditate sua in clarum omnium aspectum producta confunderentur, & ne alii, boni quidem, sed rerum non satis periti in errorem seducerentur, propositum meum mihi hanc ob causam potius urgendum videbatur. An vero hoc propositum aliquatenus attigerim, aliorum esto judicium. Personas non insector, vitiosa dicta & facta in personis reprehendo. Atqui hoc fieri oportuit. Si quid tamen in hac vel alia re minus rectè dictum est, dictum non esto.

Fateor vero causam Cæsaream pro amplitudine honoris sui (licet pro claritate veritatis suæ nullos requirat) alios defensores requirere me longè prudentiores, & Culmini isti propinquiores, quales etiam futuros spero, si ita opus videbitur: attamen non aliter satisfacere animo meo potui, quam si & ego operam meam contra communes justitiæ & veritatis hostes probarem. Ex ipsa vero parvitate mea, tantum abest, ut animo cadam, ut potius inde magnam spem, & sacrum omen concipiam. Quoniam & Tu, DOMINE, *Dominus noster, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos; ut destruas inimicum & ultorem.*

# PRIMVM CAPVT
# Criminationum adversus Bannum Imperiale.

*IMperator non habuit potestatem declarandi Bannum. Probatur. 1. Quod inter ipsum & Comitem Palatinum agitur, est causa ipsius propria & privata. In tali autem nemo, ne Imperator quidem, sibi ipsi Iudex esse potest, 2. Comes Palatinus potius Imperatoris Iudex est, etiam tanquam Imperatoris 3. Non potest Bannum declarare absque conventu & consensu Principum, saltem Electorum 4. Imperator est suspectus; uti & similiter Electores Ecclesiastici, atque ipsius Consiliarii aulici, qui forte consenserunt.*

# SECVNDVM CAPVT
# Criminationum.

*NOn praceßit citatio Partium, nec debita cognitio causæ, adeoquè contra indefensum Bannum est pronuntiatum Hoc autem est illicitum, facitque Bannum de Iure nullum. Probatur. 1. Omni Iure Communi, Divino, Naturali, Gentium, Canonico & Civili absq; prævia causæ cognitione & Citatione Sententiam ferre generaliter est illicitum 2. Imperatori specialiter est illicitum in declaratione Banni, tum propter contrarias Imperii Constitutiones, tum maxime & ipsam moderni Imperatoris Capitulationum.*

Hæc est Syncera analysis, & summa omnium, quæ obiiciuntur, & de quorum veritate jam erit agendum. Possem quidem

quidem ea, eorumque probationes, quatenus nobis obstant, tantum eo ordine, quo ab aduersario posita sunt, continuo dissoluere & reijcere, quod & sufficiens esset. Veruntamen vt tota res omninò ordinatè & clarè ante oculos poneretur, modo adhuc non parum accuratiore opus esse mihi visum fuit.

Ipsa itaque fundamenta, quibus Bannum innititur, & quæ calumniator adversarius labefactare conatur, ad distinctas Propositiones revocare, Propositiones firmis suis argumentis, sæpe etiam propter maiorem firmitatem in legitima argumentandi forma positis, distinctè confirmare, omnia quæ in contrarium allata sunt, suo loco tanquam obiectiones distinctè proponere & refutare allaboraui. Omnis itaque confusio calumniatori familiaris mihi scrupulosè vitanda fuit, atque omnis fere ordo, si quem habet immutandus; imprimis cum & hoc accederet, quod mihi non perinde esset, quam Propositionem sub quocunq; Numero ponerem, sed quod eas tali ordine disponere deberem, vt priore loco essentillæ, quæ aliarum probationibus inseruiunt, atque hinc omnibus illis, quæ aduersarius sub Secundo capite agit, priorem locum dare oportuit.

Vt igitur ad rem veniamus, sciendum, quod non sit quæstio, an declarationi Banni præmissa fuerit formalis Citatio, & cognitio causæ, illud etenim factum non esse nullo modo negamus, intelligendo tamen per *cognitionem causæ*, eam quæ fit ordine iudiciali, audiendo coram iudicio probationes, Rei defensiones & exceptiones (aliàs significantius dicitur, examinatio, discussio causæ, seu iudicium discussionis) vti quoque ab aduersa parte intelligitur. Sed quæstio est, an id licitè & iustè factum fuerit? Imperator in libello suo Banni declaratorio id affirmat; adversarius verò in libello suo famoso negat. Rationes ab ipso adductæ si tantum vellent, quod ordinariè in occultis & dubijs absque Citatione & examinatione cau-

ne causæ non liceat procederet, non fieret de hoc quæstio inter nos, quia nec id cupimus negare. Verum quia hoc nihil ad rem, idem quoque volunt de Notoriis; in quibus id licere, fundamentum Banni est. Quod & nos consequenter jam probabimus.

PRO-

# PROPOSITIO I.

*In Notoriis absq; præuia Citatione & Examinatione partium sententiam ferre vel declarare licitum est Iure Naturali.*

NOTANDVM, quod *Notorium* hic sumamus strictissimè, pro eo quod est plenè Notorium: quando nimirum factum publicè constat, & Iudici & plurimis alijs, ita vt nulla tergiuersatione possit celari: constatque similiter omnibus alicuius iudicij, aliquamque circumstantiarum & Iuris notitiam habentibus, quod ei nulla possit defensio competere, propter quam cum ratione dubitetur, an sit tale vel tale crimen. Meritò enim etiam à tali iudicio excipimus ignaros, stultos, nugatores, absurdos, siue ex miseria tales, siue etiam ex malitia, quia scilicet criminis consortes: aliás nec vnquam per mille processus aliquid notum erit. Vno verbo dicam: Notorium est, quando publicè notum est factum, & qualitates facti,

Hinc itaque euidentissimè ex ipso termino demonstratur Propositio.

I. Quando id iam publicè notum est, quod per Citationem & Examinationem causæ inquiritur, tunc licitum est Iure Naturali Citationem & examinationem omittere. Patet- quia si non liceret in eo quiescere, quod per Citationem & examinationem inuenitur. neque enim hoc amplius quam publicè notum est. Et sic iretur in infinitum, quod absurdum.

In Notoriis autem id iam publicè notum est, quod alias per Citationem & examinationem causæ inquiritur.

Ergo Iure Naturali eas omittere licet; adeoque statim ad sententiam procedere,

Minor probatur. Nihil aliud enim per Citationem & Examinationem

 inqui-

inquiritur, quam ut publica scientia nota sint factum & qualitates facti. Nam quod de his inquiratur, certum est, & quod etiam de solis, inde, quia habitis his Judex de causa sufficienter est informatus.

At in notoriis jam publice nota sunt factum & qualitates facti, uti ex termino patet. Ergo, &c.

Miror itaque, quomodo aliquis possit esse tam absurdus, qui putet Jus Naturale dictare, ut inquiratur de eo, quod jam publice notum est, imo quod multo notius est absque examinatione, quam causæ occultæ & dubiæ cum diligenti examinatione; & quod talia asserendo non videat se clarè in lumen naturale impingere! Faciunt id vero adversarii, & quidem contra ipsorum voluntatem pro defensione nostræ causæ; ut nimirum statim in principio inde videatur, ipsos tales esse, qualium judicium paulo ante elevavi; ut quoque simul in reliquis magno se damnent præjudicio.

Lubet hic etiam ascribere egregia verba Gratiani, *ad cap 2 quæ Lotharius 2. q. 1.* ne quidem propter authoritatem tanti viri, sed propter rationem quam contineat, & quia hoc Jus Naturale paulo aliter explicant, quam à nobis jam factum. *In manifestis*, ait, *calliditate accusantium non opprimitur Reus nec tergiversatione proprium crimen celatur, cum culpa sua oculis omnium sponte se ingerat; atq; ideo in talibus judiciarius ordo non requiritur: qui ideo institutus est, ut nec innocentia insidiis pateret adversantium, nec culpa delinquentium sententiam effugeret justi examinis.*

2. Si qui vero adhuc forte tam tardi essent, qui etiam clarissimis his non possent intrepidè asentire, vel si qui potius tam protervi, qui obluctarentur, illi posent à posteriori convinci. Nam impossibile est, id esse contra Jus Naturale, quod jure Divino, Gentium, Canonico, Civili veteri & novo licitum est, uti id, de quo quærimus, per omnia ista jura licitum esse videbitur Propp. seqq. Sed quia res nimis clara est, & si qui tales sunt, eos, si judicium suum audiri velint, meritò contemnimus: idcirco ex hac Prop. sequentes potius illustrari possunt, vel & confirmari.

## Corollarium.

Hinc quoque simul videre est, quod ab hoc privilegio excludantur. 1. Illa quæ quidem dicuntur Notoria, re vera tamen non sunt, habentque rationem dubitandi. 2. Quæ tantum uni parti, vel Judici nota sunt. 3. Quæ quidem quoad factum nota sunt, non vero quoad qualitates. In his enim citationem & examinationem requiri non negamus.

PRO-

## PROPOSITIO II.

### *Idem quoq; licitum est jure Divino.*

PER Jus Divinum communiter intelligitur illud, quod colligitur ex verbo Dei revelato, ubi

1. Christus *Ioh.* 3. ait: *Qui non credit jam judicatus est.* Verum etiam aliunde constat, quod *oporteat nos omnes manifestari ante tribunal Christi*, imprimis in ultimo illo judicio generali, quod Christus demũ, supremus judex cum omnibus hominibus solemniter & quidem visibili & humano modo acturus est: Oportebit utique ibi infideles quoq; judicari, sed dicendum, quod quãquam illi, qui credunt cum debitis requisitis, non judicabuntur, ita ut condemnentur, tamen non omnes qui credunt, statim eo ipso salvabuntur, atque ita cum his fiet etiam judicium discussionis, ut pateat, quinam eorum æternum damnandi, quinam salvandi; ac tum demum audietur finalis sententia. Erit autem tam manifestum infideles non posse salvari, ut id omnino nulla indigeat discussione, sed quo ad hoc, uti Christi dictum vult, jam judicati & condemnati sunt; adeoque tantum requiretur publicum judicium damnationis, seu finalis sententia; *Ite maledicti*, *&c.* Consentiunt omnes antiquiores Theologi *de extremo Iudicio*, plurimique Interpretes super hunc locum, & 20 *cap. Matth.* neque apud Catholicos Dd. ea de re est dubium. Ne tamen cum adversariis propter alias controversias incurrentes in prolixitates incidamus, possunt ipsi hac relicta probatione se ad sequentes conferre.

Quod autem nihilominus sententia hic feratur in infideles præsentes & quasi citatos, non est propterea, quia judicium fuisset alias illegitimum, sed propter alias causas, propter majorem scilicet omnium malorum confusionem, bonorum vero, ac imprimis Christi gloriosissimi Judicis gloriam, &c. Sin autem aliquis velit contendere, non inconveniens fuisse, ut etiam Palatinus cum suis, si fieri potuisset, propter tales causas in publicatione Banni præsens fuisset, id ei haud difficulter largiemur.

2. Apostolus 1. *Tim.* 5. ait, *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad Iudicium*, id est, manifesta sunt, priusquam veniant ad Judicium. Hinc quidem apertè nec dum habetur, quod volumus; si tamen ea conjungantur, quæ Prop. I. circa Jus naturale dicta, erit id satis apertum: imprimis cum etiam multi Interpretes, aliique Theologi *de officio judicis*, non tantum ex hac Emphasi, sed etiam ex contextu inferre velint, quod talia non egeant probatione, seu judicio discussionis. Ita *Glossa interlin. Lyranus hic S.Th. hic, & 2.2.q.67.a.ad 3.* pluresque alii.

3. Clarius id hinc habetur. Notorium nimirum erat, quod Ioab iniustè interfecerit Abner 2. Reg. 3. Rex Dauid autem etsi eum tempore vitæ suæ propter Roel non puniuerit: morti tamen proximus id negotium filio suo Salomoni commisit 3. Reg. 2. & quidem ita vt *non deducat canitiem eius pacificè ad inferos.* Hanc vero sententiam tulit absque omni Citatione & processu. Eodem quoque Rex Salomon ibid. absque omni Citatione & processu executus est.

4. Clarissimè vero id liquet ex facto Apostoli Pauli, qui 1. *Corinth.* 5. scribit, quod *absens iudicauerit vt præsens,* incestuosum illum fornicatorem Corinthium *tradere Satanæ.* non autem quia citatus, coram Apostolo tanquam iudice examinatus & conuictus erat; sed quia, vti premittit, *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, &c. Erat nimirum scortator manifestus, quem absentem & irrequisitum Apostolus excommunicauit. cap. cum sit Romana. de appellat. Omnes enim crimen eius sciebant, & non arguebant publicè nouercam suam loco vxoris habebat: in qua re neque testibus opus erat, neque tergiuersatione ali qua poterat tegi crimen. Cap. de manifesta. 2. q. 1. ex S. Ambr.*

5. Id denique probatur ex consensu Theologorum, iuris Diuini & S. Scripturæ Interpretum, qui vno vel altero locorum nominatorum illud vnanimiter docent: adeo vt Arragonius, postquam *ad 22. q. 67. a. 2.* & 3. In Notoriis Citationem, accusationem & probationem non requiri docuerat, concludat: *Neque hac de re potest esse dubitatio inter Doctores.*

Iure itaque Diuino licitum est in Notoriis absque Citatione & iudiciali discussione sententiam promulgare.

## PROPOSITIO. III.

### *Idem quoque licitum est Iure Gentium.*

QVia scilicet Iure Naturali adeo expresse licitum est dicto modo in Notoriis procedere, tantum abest vt gentes ob aliquas forte causas aliter statuerint, vt omnes potius sæpissimè eodem modo procedant. Id quod facile probatur.

1. Bella introducta sunt Iure gentium, vt paret; & hinc consequenter eodem iure introductum est, vt quælibet legitima Respubl. hostes suos, qui in hostilli aliquo actu, deprædationibus nimirum vel ipso conflictu capiuntur, vel de quibus alias indubitatò constat quod sint hostes, licitè possit perpetuis carceribus, vel seruituti, vel ipsius vitæ supplicio mancipare;

pare; modo vel it, & modò non obstent pacta cum hostibus de soluendo lytro pro captiuis. Notum verò est, quod aduersus tales non instituatur processus, in quo cognoscatur, an sontes sint, vel non, sed quia hoc Notorium est, tantum hæc vel illa pœna pro libitu decernitur.

2. Sic & vbique in disciplina militari, si quis officium suum vel ordinem non obseruet, si contra mandata agat, excessus etiam alias non adeò graues, faciunt quidem cum tali processum, sed quam primum ad restim. sic si aliquis fuga deserat signa militaria, si transfugiat ad hostes, sit miles vel ciuis, absque Citatione & examinatione publica infamia damnatur, imò à bonis & securitate vitæ, proscriptione deponitur. Pluribus non opus est obseruationibus: communissimæ hæ omnium animis satisfaciunt.

Contra has autem tres Propp. præcedentes aduersarius nullum neque argumentum neque explicationem adducit, sed tantum simpliciter contrarium asserit; quæ nuda assertio non indiget refutatione.

## PROPOSITIO IV.

### *Idem quoque licitum est Iure Canonico.*

1. ID probatur imprimis clarè ex duobus *textibus supra. Prop. II. arg. III. citatis ex cap. cum sit Romana. de appell.* & *cap. de manifesta. 2. q. 1.* in quibus agitur de fornicatore Corinthio. His addatur *cap. Scelus, 2. q. 1.* vbi Papa Nicolaus duos Episcopos ab officio depositos & excommunicatos esse cum sancta Synodo decernit, *quod eos Lotharii Regis in tali scelere, quod omnibus manifestum erat, fuisse tutores atque fautores pene totus orbis, vndique ad limina seu sedem confluens Apostolicam, referebat.* In eadem *quæst adhuc duo cap.* habentur de Notoriis, vti sunt cap. *manifesta, & cap. quia Lotharius*, in quibus tamen solummodo habetur, quod accusatione non indigeant.

2. *Cap. bonæ memoriæ de elect. & elect. pot. Contra Legati vero processum hoc facere videbatur, quod non citatis VVormaciensi Episcopo, & eius fautoribus, processisset. Porro excessus Notorius examinatione non indiget.*

3. *Cap super eo de testibus cog. Quod si factum est Notorium, non eget testium depositionibus declarari, cum talia probationem vel ordinationem iudiciariam non requirant.*

4. *Cap. tua; de cohab. Cleric. & mul. Quid si crimen eorum* Clerico-

rum publicè concubinas habentium)*ita publicum est, ut merito debeat appellari notorium: in eo casu nec testis, nec accusator est necessarius: cum huiusmodi crimen nulla possit tergiversatione celari.* Hicque ex responsione ad quæsitum colligitur, quod tales sint condemnandi, etiamsi *se esse concubinarios diffiteantur.* Ibid. *cap. quæsitum est. Etsi quemlibet Clericum pro mortali peccato, quoad se ipsum constet esse suspensum, non debet tamen in officiis evitari: qui quantum ad alios etiam in casu proposito fornicationis suspensus non est, nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, seu confessionem factam in iure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit. Ergo ne quidem declaratione sententiæ quoad hoc opus est, quando evidentia rei adest.*

5. *Cap. ad nostram de Iureiur. secundum traditiones Canonicas manifesta accusatione non indigent: nec in eis est ordo iudiciarius observandus, qui debet in aliis observari.* Ibidemq; Archiepiscopo Neapolitano significatur, quod *in manifestis & notoriis ratione iuramenti*( quod quasi per extorsionem generaliter præstiterat)*non teneatur servare subtilitatem ordinis iudiciarii, quam in his non servari per omnia ipsa Iuris ratio postulat & requirit, unde videbitur subtiliter intuenti de ordine Iudiciorum procedere, ut in præmissis non per omnia ordo Iudiciarius observetur.*

Textus itaq; Juris Canonici pro nostra sententia sunt adeo clari, ut neminem putem tam protervum, qui sibi imaginari possit, idem Jus statuere etiam contrarium. Videamus tamen, an loca ab adversario citata saltem aliquod dubium iniicere possint.

## *Objicitur.*

PRIMO *Cap. 1. 5. 11. 12. 13. caus. 2. quæst. 1. Et caus. 3. quæst. 9. per tot.*

*S*ed quod primo loco sermo sit de causis communibus occultis & dubiis, non vero de Notoriis, clarissimum est tum ex ipsis verbis *Capitulorum*, tum quia in eadem *quæst.* quatuor sunt *capitula*, supra etiam *argument. 1.* citata, in quibus Notoria manifestè excipiuntur. Legat ibi, qui Latine novit; nihil est difficultatis.

Sic & frustra obiicitur altera *quæstio.* Nam ibi ex toto nulla mentio fit de Notoriis: quæ etiamsi alibi non tam manifeste exciperentur, tamen & nihilominus ex totius huius *quæstionis* sensu satis colligeretur, eam loqui de causis ad iudicem solummodo per accusatorem seu alteram partem delatis, quæ nullo modo sunt Notoriæ.

SECUN-

SECUNDO. *Clement. Paſtoralis de ſententia & re iudicata. Vbi re-
fertur, quod Imperator Henricus contra Robertum Regem Siciliæ Banni ſenten-
tiam, propter rebellionem aliasq; iniurias, promulgans itidem aſſeruit, quod hæc eſ-
ſent* Notoria, *& quod talia facerot exigente ita* Juſtitia, & de Imperiali et-
iam poteſtate. *Nihilominus tamen Papa* CLEMENS *V. ibidem ſententiam
hanc pronunciat temerariam eſſe & nullam, utpote quæ promulgata fuerit à Iudi-
ce incompetente,* contra non citatum legitime, & ad locum tutum, *hoc ad-
dito:* Quod Imperatori non liceat tollere Citationem, cum ſit Juris Na-
turalis.

Pro Reſponſione præmitto, quod ſententia illa ibidem nulla pronun-
cietur ex multis cauſis, quæ huc omnino nihil faciunt. Licet nimirum
Rex ipſe terras aliquas ab Imperatore in feudum teneret; quia tamen
tum alias ordinarie: tum imprimis tempore Citationis continuo & No-
torio extra diſtrictum Imperii in Regno Siciliæ morabatur, ratione cuius
Regni Summo Pontifici & Romanæ Eccleſiæ eſſet Notoriè ſubditus,
homoque ligius & vaſallus; & quia ſic ratione originis & domicilii Im-
perio non eſſet ſubjectus; inde infertur, quod Rex non potuerit crimen
læſæ Maieſtatis contra Imperatorem committere, nec ab eo vel citari vel
judicari, multo minus omni dignitate & Juriſdictione privari. Hæc vero
ob quæ Imperator merito dicebatur Judex incompetens, nihil ad no-
ſtrum caſum. Deinde non ſit ibi difficultas, quod Rex non erat citatus,
(erat enim citatus, ut ibi habetur expreſſe) verum quod non erat *legiti-
mè citatus, nec ad locum tutum.* Suppoſito autem, quod Judex aliquem ci-
tet vel citare debeat, illum tum modo legitimo citare debere non nega-
mus.

Sed neque hoc quicquam jam ad nos: quia uti Imperator non citare
debuit Comitem Palatinum, ut jam conſequenter probamus, ſic
neque citavit, adeoque nec defectum commiſit in modo Cita-
tionis.

Si ergo inde aliquid contra nos colligendum, hoc deberet ita
fieri. *Imperator ubi aſſerit rebellionem & hoſtilitatem Regis eſſe Notoria,
& tamen nihilominus eum citavit. Ergo Citatio etiam debet fieri in Noto-
riis.*

R. 1. Etiamſi ibi Notorium in tam ſtricto ſenſu accipiatur, uti non
jam accepimus, atque etiamſi tunc verum ſit, quod Imperator aſſerit: ta-
men nihil adhuc infertur. Potuit enim Jus ſuum vel remittere vel ne-
gligere, atq; ſic alterius Juri & poteſtati nihil præjudicat. Hæc quidem
Reſponſio propter circumſtantias iſtius caſus non eſt ſatis probabilis:

Impe-

Imperator enim concitabatur in Regem, tum ab exercitu, tum ab urbe Pisana, in qua erat (ut hic dicitur *in cap*) At nihilominus citabat Regem & processus contra eum instituebat. Vnde saltem nihil in gratiam Regis, quod de Iure poterat, remisit, nec propter eandē causam id neglexit: imo nec remittere nec negligere id ab aduersarijs Regis Imperatorem circumstantibus & instigantibus permissus fuisset. Tollit tamen omnem vim argumenti, & si quis ita explicare velit, aduersariorum tota sapientia cadit. R. 2. Crimina illa ne quidem secundum mentem Imperatoris, verè Notoria fuisse. 1. Imperator post Citationem habuit etiam processus contra Regem licet absentem At quia ex prædictis iam clarum est, talia non requiri in Notoriis, sic inde potius colligitur, quod non fuerint veré Notoria, accedente eo, quod nihil rigoris hic fuerit remissum vel neglectum. 2. Imperator saltem potuit scire, quod defendi possit licitum esse, in Notoriis omnem citationem & processum omittere. Si ergo, quamuis in Regem incitatus, noluit vti illo modo, id debuit esse inde, vt per alterum modum communem esset securior, nec pateretur aliorum contradictiones. Si autem hac in re fuit tam scrupulosus, multo magis debuit posteà attendere, vt Citatio & Procesus legitime fierent. Quare igitur voluisset potius supposito modo communi illegitime citare & procedere, quod simpliciter est illicitum, quàm his omissis statim sententiam ferre, quòd defendi poterat? Sanè hoc nullam saperet neque veram neque apparentem prudentiam, dum adhuc liberum est alterutram viam ingredi, auferre sibi ipse primùm potestatem ingrediendi extraordinariam non illicitam, & deinde hac relictâ ordinariam sequi, eamque illicitè totam corrumpere. 3. Potest & inde colligi, quod, quamuis Imperator præmittat facta esse Notoria, sententia tamen ipsa non feratur tanquàm in Notoriè Reum, verum tanquàm in *peremtoriè & sufficienter citatum sed comparere contumaciter recusantem*, Vnde & sententia tantum est interlocutoria pro quali etiam â summo Pontifice habetur. De quo, hoc prætereà adhuc addi poset, quod posteà videatur illa crimina vocare *delata* scilicet ab altera parte, de quibus aliàs Iudici nihil constat, vti vox ipsa significat.

Dico ergo, quòd Imperator Notorium non tam strictè accipiat, sed vel pro eo, quod â multis ad ipsum fuerat delatum; vel quia putabat, id per Acta in procesibus contra absentem contumacem iam ese probatum, quo sensu ab ICTIS solet dici, quod Acta inducant Notorium. Et hoc quidem etiam hic, saltem secundum aliquam præsumptionem, dici potuisset, si procesum fuisset contra verè contumacem.

At Rex talis non erat, quia comparere non tenebatur. Quicquid igitur

hic defectuum eſt, oritur ex illo principio; quod Imperator ſuppoſuerit ſe eſſe legitimum Judicem Regis, qui error vero ſimilius ab ipſo non fuit prævíſus.

R. 3. Sit adhuc, quod Imperator accipiat Notorium, uti ſtrictè ſonat. Sed idem quoque ante dixerat, Regem legitimè eſſe citatum. Sit ergo utrumque æque verum. Negare unum fortaſſis non eſt magis abſurdum, quam negare alterum. Et potuiſſet Imperator ita dicere, ut excuſaret defectus jam commiſſos. Hæc Reſponſio adverſarios etiam ſatis refutat: eam tamen non teneo; quia Imperator ſic magis excuſatur, & reliqui defectus necdum apparenter excuſantur: quia item à CLEMENTE Pontifice ob hoc non reprehenditur.

Nec denique illud eſt contra nos, quod ſummus Pontifex *circa finem cap.* ad id, quod Imperator dixerat, ſe defectus circa proceſsus authoritate ſua supplere, reſpondeat. 1. quod talis ſuppletio non potuerit fieri in prædictis circa non ſubditum. 2. *quod nec circa ſubditum ad ea potuiſſet de ratione referri, per quæ de crimine præſertim ſic gravi delato, defenſionis (quæ à Iure provenit naturali) facultas adimi valuiſſet: cum illa Imperatori tollere non licuerit, quæ Iuris Naturalis exiſtunt.* Non enim Pontifex reprehendet Notoria. 1. quia in his defenſionem eſſe neceſſariam Jure Naturali, per *I. Pr.* eſt abſurdum. 2. quia ait de *crimine delato*, quod ex ſignificatione non eſt Notorium. 3. quia ſciebat Jus Canonicum ante illum expreſſe aliter ſtatuiſſe. 4. quia Ipſe in hoc ipſo *cap.* tria vel quatuor tanquam Notoria ſupponit, ex quibus contra Imperatorem procedit. Si ergo vellet etiam in Notoriis defenſionem eſſe audiendam, alias fieri contra Jus Naturale, eo ipſo diceret ſe contra Jus naturale agere. Sint Calviniſtæ tam abſurdi: abſit vero à Summo Pontifice, qui præſertim hic egit de conſilio Fratrum, Sapientiſſimi videlicet Cardinalium Collegii.

## PROPOSITIO V.

### *Idem denique licitum eſt etiam veteri Iure Civili.*

JUS Civile vetus dicitur illud, quod continetur in communiter ita appellato Corpore Juris Civilis. A quo etſi hæc Propoſitio non adeo diſertis verbis explicetur & approbetur, ut à Jure Canonico: habent tamen aliqua, ex quibus ea non minus clare poſſit deduci.

1. Nimirum *text. in l. ſi vero, § qui pro rei ſſ. qui ſatiſd. cog. Qui pro rei qualitate*

*tate evidentissime locupletem, vel si dubitetur, ad probatum fidejussorem judicio sistendi causa non acceperit, injuriarum actio adversus eum dari potest.* Patet, quod ibi sermo sit de approbatione, quæ fit per judicium. Bene ergo hinc sequitur, quod si res alias satis evidens non indigeat judiciali approbatione, nec similiter indigeat judiciali examinatione. Consentit hic glossa dicens; *quod manifesta seu Notoria non indigeant probatione.*

2. In *Extravag. tit. qui sint rebelles*, ab Imperatore Henrico VII. declarati & decerni colligitur, quod *infidelis & rebellis Imperii quisquam reputari debeat, etiam priusquam per Imperatoriæ Maiestatis sententiam condemnatus appareat*; ex ipsis nimirum pravis actis, uti contextus aperte indicat. *Et ibid. tit. præc quomodo in læsa Maiest.* dicitur quod in crimine læsæ Majestatis etiam procedi possit *sine strepitu & figura judicii, prout illi, qui jurisdictioni præest, videbitur expedire.* Quod etiam ad Notoria secundum nostrum sensum satis commode applicari potest.

3. *C. Quando liceat unicuiq; per tot.* agitur quando & quosnam sine Judice & ulla forma judiciaria cuilibet occidere liceat; atque inter cætera ibi dicitur *l. liberam resistendi. Nostram igitur vobis permittimus ultionem: ut nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat, ut latroni. Et l. resistendorum. Cuncti adversus latrones publicos desertoresq; militiæ ius sibi sciant, pro quiete communi, exercendæ publicæ ultionis indultum.* Loquuntur ibi Imperatores sine dubio de criminibus Notoriis. Committunt autem aliis quibuscunque executionem contra talium criminum reos, sine omni citatione, examinatione, sententia vel sententiæ declaratione. Ergo à fortiori multo magis sive ipsi, sive quicunq; alii Judices potestatem habentes, contra tales sine prævia citatione vel examinatione sententiam ferre aut declarare possunt. Est vero argumentum hoc longe clarissimum: pluribus ergo haud æque claris jam supersedeo. Addo tantum.

4. Jus hoc Civile contrarium non determinavit. Reliquit igitur id quod Jure Naturali permissum erat in suo vigore, illudque approbavit. Certum enim est non tantum in Jure Civili, sed etiam in omni Jure Positivo, si id non determinat seu limitat Jus Naturale, quod tum naturalis ratio sequenda sit. Quod imprimis de Jure Civili nullo modo negari potest, cum ipsum expresse dicat, *Rationes Naturales pro legibus amplectendas, l. promittendo ff. de iure dot.*

## Obiicitur:

PRIMO *leg. 15. Cod. de Appellat.*

R. At

R. At ibi Imperator tantum præcipit instructiones necessarias plene actis inseri, *ne his, quando venerit ad ipsius iudicium, incognito negotio dirimatur, ademta insuper copia conquerendi seu appellandi.* Flagellandæ autem puerilitatis est hæc opponere contra Notoria. 1. quia *negocium incognitum* ex termino opponitur Notoria. 2. quia hic agitur de litibus quæ per appellationem crescunt ad Judicium Imperatoris. inde autem colligitur, quod hic non agatur de Notoriis. In his enim non permittitur appellatio, *cap. cum speciali. § porro de appellat. cap. pervenit consultum, cap. cum sit Romana, eod. tit. l. 2. C. quorum appellatio non recip.*

Potuissent adhuc aliæ leges speciosiores afferri, in quibus nimirum generatim vel indefinite dicitur, quod illa, quæ ad defensionem pertinent non sint omittenda. Verum nihilominus tum statim responderetur, quod tales regulæ generales nihil ligent in speciebus, quando aliqua fortis ratio, vel aliæ leges magis speciales sunt in contrarium: uti hic fit.

SECUNDO. Sub hanc Prop. etiam referri potest, *quod adversarius obiicit de Ludovico Bavaro, qui sententiam Iohannis XXII. Pontificis, inter alia propterea reiecit, quia non erat citatus, vel saltem non legitime citatus.*

Dico hoc nihil esse ad rem. 1. quia Ludovicus fuit citatus per edictum ad valvas Ecclesiæ. Ergo saltem fuit citatus. An vero jam fuerit legitime citatus, pertinet ad omnino aliam quæstionem. 2. Si hoc exemplum debet huc quadrare, Ludovicus debet poni ut Notorie criminosus. Non enim quæritur, an aliquis debeat citari, sed an notorie criminosus debeat citari. Atqui adversarius potius supponit illum fuisse innocentem. Est itaque hoc exemplum vere (ut ita dicam) in X. *ut; talpa:* utpote quod neque huc quadrat ratione Citationis, neque ratione Notorii. Controversiam autem ipsam in se quod attinet, illa est ampla, & ex nuperis scriptis imprimis trahit factiones. Unde merito videmus adversarium, qui ac si causa esset Notoria, ac si ille esset in nostra sententia, ac si esset Judex inter partes tam sublimes, totam rem velit uno verbo vel sola præsumtione pro parte Ludovici, tanquam Imperatoris, declarare. Quin adhuc melius, & secundum doctrinam suam faceret, si factiones ad tribunal suum citaret, & tum demum, iis auditis, pro authoritate sua sententiam ferret. Scilicet. Interim tamen non ægre ferat, quod multi potius faveant parti Summi Pontificis.

TERTIO. *Obiiciuntur authoritates ICTorum.*

Has vero cum magna prolixitate speciatim proferre & solvere, in re tā manifesta non est operæ precium. Dabo igitur tantum Responsionem generalem, qua omnes nobiscum concillari possunt. Quando nimirum ajunt, Citationem & discussionem necessario requiri, vel loquuntur tantum de causis communibus, non vero de Notoriis; vel si loquuntur de Notoriis, id non faciunt in nostra significatione stricta, sed in aliis largioribus, de quibus actum in *Coroll. ad Pro. I.* Istud adhuc addo. Si esset, quod forte unus vel alter, etiam quoad vere Notoria nobis contrarium teneret, de illius authoritate parum solliciti essemus, nec multo magis, quam de adversariis imprimis quia inter eos sunt, qui non adeo multum habent authoritatis, & in quibus nihil mirabile est, quam quod vanitate jam satis communi tanquam authentici allegentur. Sint deinde qualescunq; sint, nullorum authoritas valebit contra rationes & leges præcedentibus Propos. adductas, & seqq adducendas. Conentur adversarii istas refellere, ac pro se clariores in terminis adducere, & videbunt hoc non ita facile esse, quam quodcunque obvium, detortum & male intellectum undecunque citare; imo illud sibi impossibile esse videbunt. Attamen datæ duæ Responsiones tales sunt, ut neminem facile destitutum sināt in illo locorum allegatorum. Tantum enim abest, ut *Dd JCTI.* prædictis contrarium sentiant, ut communiter, quando de ista materia agunt, expresse nobiscum sentiant. Ipsorum autem authoritatibus tanquam argumento uti nolui, quia cupio rem demonstrare tanquam certam, quod ex diffuso illo authorum campo vix fieri potest: quia quod aliunde non est certum, abit in opinionem. Si quis tamen omnino tales authoritates desiderat, legat præ aliis communem *Gail. de P. Publ. lib 2. cap 3. numer. 17. 23. & 26.* qui ei loca satis multa monstrabit; cum addito, *hanc esse communem omnium Dd. opinionem.* Videbit etiam ibidem ipsum *Decium* pro nobis stare: quo adversarius pro se nullum habet magis familiarem, cum tamen solummodo in prædicto sensu loquatur.

PRO-

## PROPOSITIO VI.

*In Notoriis absq; Citatione & examinatione partium sententiam ferre vel declarare licitum est omni Iure communi.*

QUod enim licitum est Jure Naturali, Divino, Gentium, Canonico & civili veteri, id licitum est omni Iure communi, quia illæ tantū sunt species Juris communis, accipiendo id pro eo, quod sive omnibus, sive multis populis sibi invicem non subjectis commune est. Unde ad hoc genus etiam refertur Jus civile vetus, cujus authoritas quoque extra Imperium à multis populis recipitur; modo non speciatim obstent antiquæ consuetudines & constitutiones particulares.

Atqui in Notoriis absque Citatione & examinatione partium sententiam ferre vel declarare licitum est jure Naturali, Divino, Gentium, Canonico & veteri civili: quod totidem Propp. præcedentibus ordine probatum est. Ergo,

## PROPOSITIO VII.

*Inutile, vitiosum & absurdum esset, si aliqua Respubl. Iure Civili particulari statueret, ne in Notoriis absq; prævia Citatione & examinatione partium, ab ullo Iudice, ne quidem à capite Reipubl. ad sententiæ promulgationem procederetur; imprimis si etiam speciatim hic comprehenderet causas fractæ pacis & rebellionum.*

VIdimus hactenus quid de Notoriis sentiendum sit secundum Jura communia: videndum jam etiam, quid secundum Jus particulare Imperii, in quo agimus. Antequam vero ad hoc veniamus, videndum, an etiam vera Politica, & prudentia Legislatoria permittat, ut Jus particulare in Notoriis quocunque etiam gravi casu, non aliter ac in occultis vel dubiis procedendum esse statuat, cujus contrarium recte propositum jam improbamus,

1 Si nimirum Legislator reliqua Jura communia vel determinare vel omnino tollere velit, non erit ei hoc faciendum absque gravi & legitima causa uti certum est. Talis autem hic nulla apparet, quod probatur. 1 Si enim aliqua afferri posset, esset imprimis ista: ne Principes & Judices per hoc quod non citatos & inauditos condemnandi potestatem habeant, occasionem tyrannice agendi accipientes, idem etiam postea sub hoc prętextu adversus alios innocentes moliantur id vero nihil est. Quam diu enim Princeps cupit videri bonus, hoc non est timendum. Novit enim populum statim videre, falsum esse quod præ se fert; aliquod nimirum crimen esse Notorium, quod re ipsa tale non est, vel quod omnino nullum est. Si enim tale esset, saltem multi de populo id scirent. sin autem parum curet, an videatur bonus vel non, sed nihilominus tyrannicè agere velit; istud non erit ipsi magis occasio, quam quodcunque aliud. Imo multo magis potest injustè agi in processibus causarum ordinariarum: quia enim paucis notum est, quid in illis agatur, potest ibi facilius sub ficto prætextu à corruptis injusta sententia ferri. Norunt enim Tyranni & perversi, quod aperta malitia dissimulata, tanto magis odium apud populum excitet, quam non dissimulata; quo indignius aliquis fert, præter damnum sibi illatum se adhuc ludibrio haberi. 2. Vel saltem dici deberet, Principes etiam & Judices bonos per hoc aliquando falli posse; ut putent aliquid esse Notorium, quod re vera non est. Hoc vero etiam, moraliter loquendo, vix est possibile; modo rem ipsam, quæ iis cum pluribus nota esse debet, parum considerent: annæ videlicet etiam re vera talis sit; anne vero potius negari vel defendi adhuc possit. Sine dubio quoque longe facilius in causis ordinariis & dubiis, per falsos testes, per Jus non satis perspectum & dubium, &c. præter opinionem decipi possunt. Ponatur vero etiam, quod non tam impossibile sit, quin aliquando error contingere possit. At quia hic etiam in reliquis Judiciis contingere potest, tollamus omnia, si placet, & ne incidamus in errorem, qui aliquando propter infirmitatem humanitatis vitari vix potest, in omnes potius absurditates incidamus. quod peius est, quam vitata charybdi in scyllam incidere.

2. Dissimulato adhuc, quod ridiculum sit, vel saltem ad minimum incommoditas supervacanea, diei facem accendere, contra publicos hostes, latrones, militiæ desertores, legum militarium transgressores, &c. processum judicialem instituere; id saltem tum Reipubl. quoque plurimum damnosum foret, quando vel ipsa, vel eius membra, adeoque & publica pax, manifestè læderentur. Concederetur enim hac ratione turbatori-

bus

bus istis spatium in sua malitia progrediendi, & majus damnũ inferendi, quod etsi postea adhuc more ordinario vindicari possit, tamẽ longe melius est malum hoc in prima herba supprimere, ne crescat, & ne post damnum nimis sero eradicetur. Pulchre hoc consideraruntImpp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius, qui *C. quando liceat unicuiq;* *l.* 1. *cit.* ubi cunctis tribuerant facultatem, ut populator agrorum, vel latro *permissa cuicunq; licentia digno ilico supplicio subjugetur, &c.* Hanc rationem subjungunt, *Melius est enim occurrere in tempore, quam post exitum vindicare. Nostram igitur vobis permittimus ultionem: & quod serum est punire judicio, subjungamus edicto: ut nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat, ut latroni.* Similia videri possint *in Extravagant. tit. cit qui sint rebelles.*

3. Quin & toti Reipub. maximum & vel ultimum discrimen per hoc creari posset; si, quando esset seditio prærupta, factioque cruenta & potens, ejus authores, antequam sint citati & auditi, neque sententia damnare, neque executione supprimere liceret. Melius itaque est periculum prævenire, consentit *l. Si quis filio exhæredato, § hi autem, ff. de injusto rupt. irrit fact. testam.* Crescerent enim perduellionibus interim animus, consilia, factiones, quibus ipsi postea Iudices suos togatos supprimerent. Ad rem illud Poetæ:

> *Principiis obsta. Sero medicina paratur,*
> *Cum mala per longas invaluere moras.*

4 Notandum, quod propter has considerationes etiam bene inferri potuerit, nec Jus gentium, vel aliud Jus positurum commune, in Notoriis aliter statuere potuisse, quam dictum est. Quia vero ea de facto non aliter statuisse manifestum erat; sic jam inde pro hac Prop. ita inferri poterit. Jura positiva communia propter dictas incommoditates Jus Naturale in dicto casu præsertim non determinarunt. Ergo manentibus eisdem incommoditatibus, id neque facere debet Jus particulare.

PRO.

## PROPOSITIO VIII.

### *In Notorio crimine fractæ pacis publicæ seu perduellionis Sententiam declaratoriam Banni Imperialis absque prævia Citatione & examinatione partium promulgare, licitum est Iure particulari Imperii.*

JUS particulare Imperii posset quidem vocari etiam Jus Civile vetus, quia primum pro Imperio tantum constitutum est: potius tamen iam ita vocatur Jus Civile novum, quod continetur in Aurea Bulla, & Germanicis Constitutionibus seu Recessibus Imperii: quia eius authoritas extra fines Imperii non recipitur. Quod vero secundum hoc generaliter in Notoriis idem liceat, quod secundum Jura Communia, posset probari inde: quia non statuit contrarium. Sed hoc quasi transiliendo, accedimus ad casum nostrum specialem, quo de, quod in Prop dictum est, ita probatur.

1. In dictis criminibus Notoriis dicto modo sententiam ferre licitum est Jure Communi, ut probatum Jus autem particulare non tantum non aliter statuit, ut postea patebit ex Solutione Obiectionum; sed ne quidem prudenter aliter statuere potuit, per Prop. præced. Ergo ius commune retinuit. Absit enim ut communi voce Imperii aliquid statuatur, quod absurdum sit. Iterum vero certum est, quod Bannum Imperiale sit pœna talibus criminibus ab ipso Jure constituta. Si itaque simpliciter dicto modo sententiam ferre licet, Sententiam quoque Bannum declarantem, eodem modo promulgare licebit.

2. Aureæ Bull. Tit. 14. ita statuitur. *Dominos suos in beneficiis & feudis resignatis, vel non resignatis, invadens, quomodolibet perturbans, vel damnum ipsis inferens, seu consilium & auxilium præstans talia facientibus, vel favorem, feuda, & beneficia huiusmodi, eo ipso amittat, infamis existat, & Banno Imperiali subjaceat.* & post pauca *Postremo omnes pœnas prædictas illum diffidatione quacunque prævia vel obmissa, vigore præsentis sanctionis, incurrere decernimus ipso facto.* Licitum est scilicet in illis criminibus, intellige quando manifesta fuerint, ipsam *diffidationem*, id est, denuntiationem belli & pœnarum istarum, omittere; quod plus est, quam peto: vel saltem *diffidationem quamcunque* præmittere. Ex Aurea Bulla itaque clare habetur propositum. Si enim sufficit *diffidatio quæcunque*, sufficit illa quæ est sine Citatione. Deinde, si licet omnem

diffi-

diffidationem omittere, multò magis sufficit quamcunque, & sine Citatione præmittere.

3. Videndum imprimis, quid Constitutiones seu *Recessus* Imperii hac de re dicat; quia illis tanquam proximo fundamento Banni libellus expresse innititur. In *Constitut.* itaque *Pacis Publ. de Anno* 1495. *ad princip.* iubetur; *Ne quis cuiuscunque status aut dignitatis alterum bello oppugnet, deprædetur, capiat, obsideat, nec alterius ditiones: bona violenter inuadat, occupet, incendio aliisque modis deuastet; idem ne quis talia audenti & facienti, consilium, commeatum, hospitium aliasque operas subministret: sed si quis habet, quod contra alterum prætendat, id faciat suo loco coram debitis Judiciis. Si quis vero contra faxit, Bannum Imperiale aliasque pœnas de facto incurrere declaratur.* In *Constit.* deinde proxime sequenti, ubi agitur de conservatione huius pacis, *circa finem* clarius & seuerius communi lege Imperii ita sancitur. *Si quis cuiuscunque status & dignitatis pacem istam contemserit & violauerit, atque hoc manifestum, Notorium & irrefragibile fuerit, talem eo ipso, vigore præsentis Constitutionis, prædictas pœnas incurrisse declaramus: nec ulterius ulla Citatione, declaratione aut sententia opus erit.* Hac lege nihil clarius pro nobis esse potest: & quidem ea in casu posito, non tantum vult Citationem omitti posse, sed & omnem declarationem aut sententiam: de quo inter nos iam adhuc non quæritur. Bene tamen ab aliquibus monetur, quia alias in Judiciis, & secundum iura communia, antequam propter delictum, etiam *Notorium*, aliquis statu bonis, & vita priuetur, sententia declaratoria requiritur, & quia odiosa sunt restringenda; quod itaque in Notoriis hisce nulla declaratione aut sententia opus esse, intelligendum solummodo sit tum, quando fuerint simul actu permanentia. Quod & nos libenter admittimus. Posset tamen addi: vel saltem quando ita recentia fuerint, ut adhuc quasi flagrare videantur, cuius ratio patebit ex sequentibus.

Adversarium quod attinet; ille primũ neq; negat, neq; negare potest, quin omnes pacem publicam frangentes, de iure, facto ipso pœnã Banni incurrant: hoc enim ex omnibus pacis Constitutionibus patet. Secundo; nec item negat hoc, quin dicta Constitutio de Anno 1459 Imperatoris assertum confirmet: sed dicit illã seqq. Constitut. quo ad posteriora verba de Citatione, &c. mutatã esse: expresse nimirum per eas declaratum, pœnam Banni nõ prius efficacem esse, quã *Reus præcedente Citatione Bannum incurrisse declaretur, & via Juris cognoscatur.* Imperator vero in publicata sua declaratione asseruit, illam nec quoad hæc esse mutatã per seqq. Constit. sed potius confirmatam. De hoc itaq; iam videndum.

## PROPOSITIO IX.

*Constitutio de Anno 1495. circa delicta Notoria, in seqq. Constitutionibus Imperij non est mutata, sed confirmata.*

1. MAgnum argumentum in se est, quod Imperatoria Maiestas id asserat. Huius enim, tanquam capitis Imperii, est leges Imperii conservare, & si quod dubiū occurrit, interpretari. Hoc quidem etsi in se magnū sit; adversarii tamen, omnis Maiestatis & authoritatis conculcatores, pessimo exemplo id parvi vel nihil faciunt. Agendum itaq; cū ipsis secundum captū ipsorum ex mediis, quę recipiūt, ipsis nimirū Constit. pro se loquentibus; ex quib. idem vel directè, vel indirectè probabo

2. In *Constitut. pacis de Anno 1500. Tit.* **Von der Peen der Vberfahrer/etc.** Maximilianus tunc Romanorum Rex ita ait. *Quisquis hanc Constitutionem contemserit, non observaverit, & negligenter curaverit, illudque manifestum Notorium & irrefragabile fuerit, illum eo ipso vi præsentis in pœnam fractæ pacis incidisse declaramus; & quod tunc contra talem denunciatione, executione & mulctatione per Nos, Cameram, vel Consilium Imperiale strenuè & continuo procedetur, quemadmodum per nostram pacem publicam, aut alias constitutum est.* Hic 1. fit emphasis in factis Notoriis. Debet ergo plus de istis dici, quam quod conveniat etiam aliis non Notoriis: alias n. est manifesta nugatio. Illud autem aliud esse non potest; quam quod saltem tunc non opus sit Citatione vel processu Judiciali. 2. Id confirmatur ex eo, quod talis declaretur pœnam Banni iam incidisse. 3. Item ex eo, quod contra talem continuo debeat fieri denuntiatio & executio; ubi & per verba, & per emphasin excluditur Citatio & processus. Denunciationis vero etsi hic mentio fiat, inde tamen, si fortè eadem est cū declaratione, necdum infertur, quod vel illa saltem necessaria sit; sed quod hæc etiam aliquando præmittetur, quando ita visum fuerit. 4. Est idem Maximilianus, qui *Constitut. de Anno 1495.* promulgavit, quam ne dubio quidem verbo ullibi mutavit, Ergo per hæc illam confirmare velle præsumendus est. 5. Nec dubium, quia ad eandem verbis finalibus se remittit. 6. Iisdem quoque se remittit ad Jus commune, dicendo, *quemadmodum alias convenit.* Secundum hoc vero convenit in Notoriis saltem absque Citatione procedere videatur & eiusdem Maximiliani. *Ordinat. Cameræ, de Anno 1507. Tit.* **wie es mit offenen Friedbrechern/etc.**

3. Integrum illum Titulum ex *Constitut. de Anno 1500.* citatum, Imperator CAROLUS V. in suas *Constitut. Pacis, de Anno 1521. & 1548.* traduxit;

duxit: Sub eodem utiq; sensu. Imo quod CAROLI V. mens nunquam fuerit tollere *Constitut. de Anno* 1495. non male colligi posse puto ex eo, quod aliquatenus circumspiciens bene inveniet exempla, in quibus pœna Banni tempore ipsius Regiminis absque ordine iudiciario in simili casu declarata fuit. Sed colligamus potius ex Jure iustum factum, quam ex facto Jus.

4. *Constitut. cit. de anno* 1521. *Tit.* **Die Peen aller Friedbrecher/&** *Tit.* **Vom auffgerichten Landfrieden**/item *Constit. cit. de anno* 1548. sub iisdem Titul permittitur & confirmatur quod præter defensionem *contra violentes invasores*, alicui etiam *ante Banni declarationem post recens factum* cum amicis suis, & aliis Principibus & Statibus, qui in auxilium vocati adesse debebunt, eos eorumq; socios diligenter persequi, iterumque invadere liceat. Eo ipso vero, quod membris Imperii publicos invasores, & quidem iam absentes, etiam comparato exercitu, ita invadere permittitur, confirmari quoq; dicendum est, quod Imperator, tanquam caput Imperii, idem multo magis possit, talesque simul pro communi Imperii bono absque ullo ordine iudiciario punire. Imo ne quidem opus erit ullam sententiam præmittere, si factum, vel similiter recens fuerit; vel magis, si facinorosi in ipso facto opstinati permaneant.

V. Quando aliqua lex specialis mutatur, id debet fieri vel per expressam mentionẽ illius mutationis; vel per aliam legem specialem, contrarium alias indubitato significantem; vel saltem per legem generalem ita determinatam, ut dicatur, eam omnes omnino species & casus comprehendere debere, quamvis hic posterior modus etiam non sit satis certus. Alius nimirum modus non datur: nec ullus debet tam absurdus esse, ut dicat legem specialem per quamcunq; legem generalem abrogari. Huius n. contrarium non tantum clarè habetur. *ff. de reg. iuris l. 80. in toto Jure generi per speciem derogatur: & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.* Similiter *l. sanctio legum ff. de bonis damnat.* Esset præterea id contra rectam rationem. Nam genus respectu suæ speciei est indeterminatum quid, species autem viceversa determinatum. Quod autem indeterminatum determinet determinatum, est absurdum.

Jam autem in nostro casu si lex specialis de Notoriis delictis violatæ pacis esset mutata, saltem unus ex prædictis modis dari deberet. At nullus datur. Nullibi enim eius mutationis fit specialis mentio: nec datur alia lex specialis contraria: nec item lex generalis omnes omnino species expresse includens, quod visis obiectionibus adversarii patebit.

## *Obijcitur.*

PRIMO. *Constit. pacis de Anno 1521. Tit.* die Peen aller Friedtbrecher / item, *de Anno 1548. eodem Tit. claris verbis & expresse legitur, Bannum tum demum habere suam efficaciam, quando Reus* præcedente Citatione *Bannum incurrisse declaratur.*

*Resp.* Concedo talia ibi legi, quid inde? Agitur nimirum de pacis violationibus in genere: de *Notoriis* & manifestis in specie ne verbulo quidem mentio fit. Bene itaque probat, quod Citatio in causis fractæ pacis generaliter non sit omittenda: at si aliqua lex specialis in certo casu contrarium statuit, nullo modo eam tollit, ut patet ex dictis. Et ne fortè in eo ullam vim faciant, quod Titulus, *Pœna omnium pacis violatorum*, etiam comprehendat violatores Notorios quoscunque; respondemus primum, ut ante: ille enim terminus nihil aliud facit quam ut subiectam legem reddit generalem, cui alia specialis derogat. Deinde, præter hoc notissimum est, quod terminus, *omnis*, leges, aliasque propositiones morales, sacras & profanas, non ita præcise faciat generales, ut nulla specialis exceptio contra eas dari possit: sed quod tantum magnam vel maiorem partem rerum & personarum, quibus adiungitur, significet. Denique nullam peculiarem emphasin in ea particula hic latere, etiam satis inde patet, quod in allegato alterius *Constitut. Titulo*, sub quo eadem res iisdem verbis tractatur, omissa voce *omnium*, habeatur tantum, *Pœna violatorum pacis.*

SECUNDO. *Per Constitut. pacis de Anno 1548. Tit.* Von Gewalt des Cammergerichts / *Reus sæpe à pœna vel omnino absolvendus, vel saltem pro qualitate facti pœna Banni in mulctam pecuniariam commutanda fuit. Hoc autem absque Citatione partium, & sufficienti causæ cognitione fieri nequit.*

*Resp.* Titulus ille loquitur de iis, qui verè fractæ pacis rei sunt; & neutiquam ibi dicitur, quod *Reus* aliquando à pœna omnino absolvi debeat vel possit, de suo hoc affingit Calvinista. sed hoc ibi agitur; Quia videlicet interdum res periculosa est & magni dispendii, pœnam fractæ pacis urgere & exequi; quia tamen interim iustum, quemque pro delicto suo debitas pœna pati, easque tunc pro qualitate causæ mitigari: sic reservatur Imperatori, *Regi Romanorum*, & Cameræ Imperiali, ut constitutam pœnam fractæ pacis, Bannum scilicet, in mulctam pecuniariam commutare possint. Posito vero, quod hoc etiam aliquan-

aliquando ad delicta Notoria prudenter applicari deberet; quare tunc Imperator non æque in his pœnam absque ullo processu commutare posset, quam vel Ipse, vel Camera in quibuscunque non *Notoriis* obseruato processu? Imo potest, & multò melius potest. Deberet itaque potius contrarium inferri. In Notoriis per se sufficiens causæ cognitio adest. *Ergo* potest illis pœnarum mitigatio applicari absque Citatione. Quicquid vero adhuc sit, hæc tum saltem *Notoriis* applicari non possunt, quando turbator est in ipso facto, & quidem obstinatus. De talibus autem potissimum hic loquimur. Nihil igitur ad rem.

## PROPOSITIO X.

*Eadem Constitutio similiter confirmata, imo & renouata est, in Constitut. seu Recessu Imperij de Anno 1555. & sequentibus.*

NON abs re est, quod hanc Propositionem à præcedente separauerim. Posteriores enim Imperatores, uti & modernus FERDINANDUS II. iuramentis & Capitulationibus suis peculiariter ad hanc Constitut. & seqq. obligati fuerunt, quia nimirum famosa illa *Religionis* cum Politia pacificatio, atque ita simul quasi novus legum Imperii cursus inde exordiuntur.

1. Itaque in *Constitut. de Anno 1555.* inter cætera, quæ ibi per multos §. contra milites vagabundos, palantes, subditos fugitivos, incendiarios, tumultuarias militum congregationes aliasque pacis violationes statuuntur, etiam de nouo iniungitur, *circa princip. ut in posterum nemo cuiuscunque status ullam ob causam, qualiscunque illa fuerit, sub quocunque etiam prætextu, alterum eiusue bona bello inuadat, obsideat, deprædetur, aut talia facienti cooperetur, &c.*

Mandatur item §. Wir setzen/ *fidelitatem, quam quisque Imperatori & Imperio debet sub seuera eorundem indignatione & vindicta, priuatione item omnium feudorum, priuilegiorum, bonorū & Iurium, quantum eorundem quisq; ab Imperatore & Imperio tenet, ne quis cuiuscunq; status ad bellum vel hostilitatē, contra Imperatorē, aut ullos obedientes Imperii Statꝰ sine Imperatoris, vel Magistratus sui ordinarii præscitu atq; permissu, se commoueri patiatur, neq; tectè aut apertè contra eosdem militet, iuuet, cooperetur; neq; item alias ad quamcunque illegi-*

*illegitimam militum congregationem se intromittat: verum ut talibus omnino abstineat.*

*D*einde §. **vnd damit obgesetzte** / & seqq. in meliorem præcedentium statutorum observationem statuitur, in singulis Circulis Imperii præfectes aliasque personas officii militaris constitnendas esse, quibus permittitur & iniungitur, ut violentias contra pacem publicam factas sufficientibus collectis copiis reprimant & vindicent, ita quidem ut hoc suum officium non tantum faciant in *eo casu*, *quando aliquis Circulus eiusue Status iam de facto contra pacem publicam bello obsidione, invasione turbaretur, sed etiam tum, quando saltem hunc infinem fieret apparatus, idque evidenter & manifestè constaret, &c.*

Mirum vero, si talia Statibus Imperii, nulla omnino expectata sententia licita sint, non tamen inde inferri posse, quod & talia multo magis Imperatori nulla omnino præmissa sententia licita esse, eo ipso confirmetur. Hæc Ordinatio Executionis confirmatur *Constitut. de Anno* 1557. §. **So haben wir vns** / *& seqq. Constitut.* de quo non est dubium.

Possent hic quoq; argumenta afferri ex *Ordinat. Cameræ* (quæ ibidem in Comitiis Augustanis Anno 1555. constituta est) *p. 2. tit. 9.* § 1. & 2. sed ibi tantum confirmantur eadē, quę sunt in arg. 3. & 4. præcedentis Prop. 2. *Constitut. de Anno* 1559. §. **vnd die weil wir** / repetitus citatus ante §. **wir setzen** / ex *Constitut. de Anno* 1555. & statim postea in firmiorem pacis conservationem, *pœna Anno* 1555. *constituta in tantum intenditur, ut præter eam transgressores istius statuti in Bannum Imperiale ipso facto incidisse declarentur; ibidemque propterea absque omni etiam ulteriori declaratione, nunc prout tunc, & tunc prout nunc Banno proscribuntur, atque pro Bannitis Imperii habentur.*

*N*oto hic 1. Non est dubium, quin ista intelligenda tantum sint de factis *N*otoriis: alias sensus est nimis rigidus. 2. Certum est, si sententia declaratoria non requiritur, quod etiam non requiratur Citatio & discussio: hæc n. propter illam tantum requiruntur. 3. Certum itaque etiam est, hic clare confirmari & renovari, id quod volumus. 4. Anno 1555. neque in *Constit.* neque in *Ordinat. Cameræ* contrarium constitutum est: quia pœna ibi constituta hic intenditur. At non posset tum dici, quod hic intenderetur, si ibi ad Citationem & viam Juris ordinariam fuisset, etiam in *N*otoriis, determinata, sic n. prior lex contraria per posteriorem tolli, non intendi debuisset. 5. Etsi, quod falsissimum est, in prioribus Constitut. aliter statutum fuisset, tamen adhuc liceret, quod volumus.

Priores

Priores enim Constitut. per hanc posteriorem fuissent abrogatæ: & post hanc nulla ne quidem apparenter contrarium indicat; unde & nulla ab adversario prolata est. Affert quidem adhuc Capitulationem moderni Imperatoris; sed hæc est alterius ordinis, & de hac postea.

3. Eadem confirmantur Constitut. de Anno 1564. §. vnd sol den vorigen. item Constit. de Anno 1566. §. vnd nach dem dan. & § Als dan in fernerm. In qua Constit. & sequenti hoc quoque notandum, quod Banni & executionis mandata fuerint publicata contra quosdam tanquam violentos publicæ pacis turbatores, qui ipso facto Bannum incurrerant. Plures confirmationes in seqq. Constitutionibus inveniuntur. Hoc denique nominatim adhuc addi potest, quod in Constitut. de Anno 1566. § Auff den fall dan/ Bannum etiam contra reprobos monetarios ita Declaretur, ut nulla præcedente sententia declaratoria opus sit. Nondum vero tantum delictum est falsam monetam cudere, quam publicam pacem violare.

## *Objicitur.*

Primo. *Constitut. de Anno 1555. §.* vnd nach dem zu erhaltung. *legitur, Executionem Banni fieri debere, si quid illud incurrisse legitimo modo & via* Juris *cogniti & declarati fuerint.*

Responsio ad hunc textum posset esse multivaria. 1. Si certum esset quod posterioribus verbis requireretur Citatio & processus, dicere possemus ut ante, eximi scilicet hinc per legem specialem turbatores Notorios; vel si includantur, id tantum fieri eo respectu, si forte non procederetur contra ipsos aliis viis licitis, quod satis contingere potest. 2. Si ponere velimus, Notorios etiam hic comprehendi; nondum necessum est, ut concedamus posterioribus verbis talia per omnem casum requiri. Quia enim tum isto modo in hoc §. omnes sententiæ & declarationes executione indigentes intelligerentur; hæ vero quia pro sua diversitate diversimodè, ac nihilominus legitimè & via Juris pronuntiantur (aliter enim proceditur in causis communibus & ordinariis; aliter in extraordinariis ac summariis, in quibus multa alias requisita omittuntur) sic & dicere possemus; quando in causa pacis *Notorie* violatæ absque Citatione ad declarationem, vel etiam statim ad executionem vi declarationem ab ipso Jure factarum proceditur, illam viam hoc casu esse legitimam, & viam Juris ac quidni? quia Jura Imperialia illam alias clare approbant, & nullatenus per istum textum reprobant.

Resp. 3. Ex

Resp. 3. Ex vero sensu huius § adversarii potius conuincuntur, & nostra Prop. probatur. Dicitur nimirum: *Quia ad conservationem huius Constitutionis necessum est ut Praefecti circulorū, non solum ita se gerant in dictis casibus* ( scilicet, ut statim ante ullam sententiam Executionem suscipiant, vel quando pax iam de facto turbatur, vel etiam quando manifestus tantum sit apparatus, haec enim in praecedentibus dicta fuerant ) *sed etiam contra turbatores pacis aliosque, Imperiale Bannum aliasq; sententias & poenas exequantur, quando eas incurrisse legitimo modo & via Juris cogniti & declarati fuerint.* Manifestum itaque hinc est, quod aliquae turbatores pacis absque Citatione & sententia declaratoria opprimi possint. Manifestum quoque quod illi tantum turbatores hic intelliguntur, de quibus dictum in prima *Responsione.*

SECUNDO *Ordinat. Camerae part. 2. tit. 9. § 2. Citatio etiam requiritur in casu, quo crimen fuerit manifestum & Notorium.*

*Resp.* Talia vero ibi haberi est manifeste & Notorie falsum. Dicitur n. ibi primum, quod violantes pacem de facto incurrant Bannum Imperiale aliasq; poenas; *& si crimen fuerit manifestum & Notorium dictas poenas eos iam de facto incurrisse declaratur.* Ex posteriori itaq; parte huius periodi nos potius contrarium colligimus, quemadmodum & ex tota sequente periodo, Citationem scilicet in Notoriis non requiri: uti videri potest. Prop. praeced. ad argument. II. Postea demum subiungitur. *Quam primum quoque violatores illi ab Imperatore, Rege Romanorū aut Camera Imperiali, praeuia Citatione Bannū incurrisse declarati sunt*, his vel his paenis subiacebunt, &c. Quis vero hinc iam statim pro certo inferet, etiam requiri Citationem in crimine manifesto & Notorio? cum potius ipse paragraphus indicet id fieri non debere, obstetque in contrarium lex specialis clarissima, quae textum hunc non adeo clarum sine dubio explicat. Dicimus ergo periodum istam tantū referri ad violatores pacis in genere, quorum in *princ.* §. mentio facta fuerat, adeoque nihil nobis obesse.

*TERTIO. Secundum hodiernum etiam stylum Cameralem obseruatur, ut nemo non citatus nec auditus in Bannum declaretur.*

*Resp.* Sit ita comuniter: Sed tum *Responsio* haec optima & verissima est, quod Camera Imperialis non declaret Bannum in casibus Notoriis fractę pacis, sed in iis tantum, qui adhuc Citatione & examinatione op9 habent: reliquos vero Notorios vel relinquit simplici tantum Circulorū executioni; vel si opus est Cęsareae Maiestatis declarationi; In Imperio enim, ut obseruauit quoque *Gail. loco cit.* in huiusmodo *atrocioribus & manifestis delictis, Banni declaratio absq; ulla tela iudiciaria fit per Imperatorē.*

Et

Et merito: primarium enim officium Imperatoris est, in tali casu advigilare, ne quid *Respubl.* detrimenti capiat.

QUARTO. *Specialiter contra Constitut. de Anno 1559. obiicitur, quod Gail. lib. 1. cap. 3. n. 9. & lib. 2. de P. Publ. cap. 3. n. 18. dicat, illam loqui in casu speciali: nimirum de palantium militum, prædonum & erronum concursu: quibus nulla potest competere excusatio.*

*Resp.* 1. Etiamsi Gailius diceret Constitutionem illam de statim nominatis tantum intelligendam esse, parum referret; quia id falsum esse, ex ipsa Constitut. clarissimum est. Nam § **vnd dieweil wir**/ sensus talis continetur. *Quoniam in tali Constitutione* (scil. de Anno 1555.) *inter alia posuimus, & sub gravi pœna præcepimus,* ne quis cuiuscunque status & conditionis *ad ullum bellum, aut hostiles maginationes contra Imperatorem aut fideles Imperii status se concitari patiatur.* Est itaq; sensus adhuc imperfectus: unde § proximo sequitur. *Vt itaq; in posterum pax & concordia S. Romani Imperii eo melius conservetur: sic de consensu Electorem, Principum, Statutum, indicatam pœnam eo modo intendimus, &c.* sequiturq; sensus in Arg. 2. allegatus. *Est* itaque omnino manifestum, quod Constitutio non loquatur tantum de militibus & prædonibus, sed de omnibus *cuiuscunque status & conditionis.*

*Resp.* 2. Falsissimum quoque est, quod Gailius ullibi dicat Constit. illam in specie loqui de talibus *tantum*, quam particulam falsarius ille malitiose vult sub intelligi, dissimulat tamen & non exprimit, ne videatur male citare authorem. Hoc vero dicit Gailius, quod loquatur de atrocioribus, & Notoriis actu permanentibus delictis; & postea subiungit casus illos, tanquam exempla, reliquos autem non excludit. Imo de *P. Pub. lib. & cap. cit. num. 16.* nostrum casum expresse inclusit; dum *Notoriæ* rebellionis actu permanentis hoc dat exemplum; *veluti si quis cuiuscunque status vel qualitatis, contra placita pacis publicæ, adversus Imperatorem vel Romanum Imperium armata manu perfide insurgat. Statumq; Imperii, & pacem publicam collecto milite scelerate perturbet.* Et postea addit, *quod contra talem vox accusatoris & longa tela iudiciaria non requiratur, sed quod absq; ulla sententia declaratoria ab executione initium fieri possit, &c.* Quid clarius pro nostra sententia? Est sane miranda illa impudentia, quæ ausa fuit Gailium nobis objicere, quomodo non detorqueres alia quæcunque loca non ita clara?

*Resp.* 3. Retorquemus & invertimus argumentum. Si licet contra prædones saltem, & milites tales, absque Citatione & declaratione pœnam exequi; falsum est, quod Jure naturæ, & quocunq; alio, nunquam liceat

Citationem & examinationem omittere, quod adversarius affirmare debuit, si voluit ut indicta eius causæ nostræ contradicerent. Datur n. statim Instantia ex aliquibus casibus quibus nulla potest competere excusatio, i. e. Notoriis. Hæc autem Instantia, quatenus talis, est ex Jure naturæ. Jus autem naturæ non excipit unum Notorium, quam alterum. Ergo velit, nolit, in Notoriis Jure Naturali licet omittere Citationem & examinationem. Habito hoc, iam ipsi incumbet probare, quod Jura positiva de aliquibus Notoriis (de verè Notoriis loquor) præsertim in casu fractæ pacis & perduellionis in specie aliter determinaverint. Poterit id adhuc experiri, si placet: de successu interim plus satis ego sum securus.

## PROPOSITIO XI.

*Contra Notorios publicæ pacis violatores absq; Citatione & examinatione partium Bannum declarare licitum etiam est moderno Imperatori FERDINANDO per juratam suam Capitulationem.*

1. QVI jurat se Jura communia in Imperio usitata, Imperiiq; Constitutiones observaturum, eidem quoq; sine dubio licitum est, quod per illa jura, & Constitutiones licitum. At modernus Imperator in capitulatione sua juravit se talia observaturum; uti patet idque ipse affirmat in declaratione Banni. Ergo eidem quoque &c.

Jam vero per jura & Constitutiones illas contra Notorios publicæ pacis violatores absque Citatione & examinatione partium Bannum declarare licitum est. Ergo idem quoque licitum est Imperatori FERDINANDO per iuratam suam Copulationem.

2. Idem quoq; eadem vi consequentiæ infertur inde, quia Imperator ibidem speciatim iniuravit, se imprimis pacem publicam Augustæ anno 1555. conventã, constitutam in sequentibus etiam Imperii Constitutionib9 repetitam, confirmatam, & pro necessitate Imperii de Consilio Electorum, Principũ, aliorumq; statuum ampliatam firmiter conservaturũ.

Certum verò est ex Prop. præc. quod per *Constitut. de Anno* 1555. & seqq. Bannum dicto modo declarare liceat. Erit ergo id quoque licitum per Capitulationem.

3. Juravit itidem Imperator se omnes illicitas conspirationes, seditiones, factiones & violentias adversus Electores. Principes, aliosque status extirpaturum; ante omnia denique eo advigilaturum, ut Justitia & pax in Imperio conservetur, atque ut ipsi salus Imperii suprema lex sit.

Qui

Qui autem vult finem debet etiam velle media, sine quibus finis haberi nequit Ad Notoriam a. seditionem, & similia delicta actu permanentia, necessarium quasi medium est; ut facinorosi non citati nec auditi statim sententia & executione premantur, quod patere potest ex Prop. VII.

Imperator ergo iurans se habiturum sibi talem finem, non abiurare debuit, nec abiuravit legitima media; quod ex adversariorum asserto sequitur: sed potius simul implicite iuravit, se debita quæque media adhibiturum.

Ex dictis itaque patet, quod tantum absit, ut Imperator per suam iuratam Capitulationem ligetur, quo minus contra publicæ pacis violatores absque Citatione & examinatione procedere possit; ut potius per eam ad talem modum contra tales procedendi obligetur.

*Obijcitur.*

*Imperator in Capitulatione sua clarè & iuratò promisit; se impediturũ, & nullo modo permissurum, ut in posterum contra ullum inferioris aut superioris ordinis Electorem, Principem aut alium, absq; causa & non auditum, Imperiale Bannum declaretur & promulgetur; sed in hoc legitimum processum, atq; Imperiales Constitutiones, iuxta tenorem reformatæ Ordinationis Cameræ, observatum iri cum clausula : Si quid contra hæc, aut alia Capitulationis puncta attentetur, id irritum fore & nullum.*

Resp. Adversarius ut hoc argumentũ, quod omnino pro se facere putat, in omnẽ casum adhuc magis roboraret, multa addit, quod data fides, pacta, & iuramenta, quę in Capitulatione hac concurrũt, à Principe imprimis, strictè sint observanda. Quia v. asserit tanquam certũ, quod Imperator hęc, per publicationẽ Banni contra Palatinũ, trãsgressus fuerit, debet simul asserere tanquã certum, quod Imperator insigniter sit periurus.

Parcius ista viris tamen obiicienda memento.

O blasphemum! Viro, inquã, Imperatori, inter Principes summo, qui præter reliquas virtutes Christianos & tanto Principe dignas, nihil prius sibi habet, quàm ut non tantum Juramentum, verum & quamcunq; datam fidem religiosè observet; quemadmodum ex inculpata ipsius vita toti orbi constat. Malorum a. iste mos est, ut alios iudicent secundum suum ingenium. Putasnè igitur, quod Imperator sit de genere Calvinistarum rebellium? quorum periuria in hoc ipso negocio sunt frequentia, ꝙ alibi indicatur; ne adhuc de aliis antiquiorib. quicquã admoneã. *Nec* itẽ ullatenus opus fuit, ut ad homines nostras partis cõvincendos, Imperatorẽ imprimis, probaretur, fidẽ, pacta & iuramenta servanda esse. Num longè melius istud novimus, & longè melius in ista arena sumus versati. Insigniter verò Calvinistę se risui exponunt, quod nobis de fide & iuramentis servandis concionari audeant:

*Turpe, etenim est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.*

Qui inter ipsos quoad hoc innocui sunt, non tanguntur. Quid vero dignius esse potuit, quam crimen Imperatoriæ Maiestati mendaciter obiectum, in authores suos veraciter retorqueri? sed veniamus de personis ad rem, seu Capitulationem ipsam.

Pro Responsione itaque dico, quod in Capitulatione ista non intendatur, etiam in Notorio crimine fractæ pacis defensionē audiri, & processum fieri debere. 1. Hoc n. quoad rationem imprimis est absurdum per VII. Prop. 2. Si hoc verum, deberent per hanc Capitulationem determinari & tolli quantum ad hoc omnia Jura communia, ipsæq; Constitutiones Imperii, quibus specialiter permissum & constitutum est, in Notoriis, præsertim talibus, defensione & processu non esse opus. Hoc autem etsi forte adhuc per talem Capitulationem fieri posset, tamen dicere, per hanc id factam esse, est absurdum. 1. Lex n. generalis non tollit legem specialem, ut ante pluribus visum. Verba autem huius Capitulationis sunt merè generalia, nec *Notoriorum* ullam mentionem faciunt. Notoriis ergo speciale & antiquum suum Jus relinquunt. 2. Non simpliciter hic dicitur, in declarando banno *processum observatū iri*, sed *processum atq; Constitutiones Imperiales*. Indicatur itaque per hoc, processum observandum esse, quatenus Constitutiones volunt, non vero etiam in illo casu in quo istæ contrarium statuunt. 3. In hac ipsa capitulatione Imperator per argumenta præcedentia potius obligatio ad contrarium.

3. Verius est Constitutiones Imperii, de pace publica & alia Jura in iis approbata, per talem capitulationem mutari non posse. Pax enim publica secundum hodierna Imperii Rempubl. constitui & mutari debet in Comitiis, seu convenientibus Imperii generalibus, de placito & consensu, Imperatoris imprimis, & postea omnium quoque Imperii statuum. Et sic non sufficit ex parte statuum conventus Electorum: sed reliquorum etiam æque principaliter interest, & omnes quoad hoc æquale ius habent. Fieret igitur præiudicium aliorum absentium Juri, & tantopere decantatæ libertati Germaniæ, quæ in hac *Reipubl.* forma potissimum consistit; atque illi merito hac de re protestarentur, & se opponerent. Mirum esset itaque, si aliqui Imperii Principes & status putarent, per dictam Capitulationem pacem publicam esse mutatam, quod simul non viderent Juri & libertati suæ esse præiudicatum. Si autem id aliqui putarent, viderent, & facerent, essent similes invido illi, qui unius oculi iacturam sibi optavit, ut vicinus ipsius careret utroque. Ita n. & hi quoq; ius & libertatem suam minui æque ferrent, modo potestas Imperatoris

hac

hac occasione ligaretur. Quia autem nemo inter fideles Imperii Principes & Status talis esse cupit; meritò succensent & obsistunt illis, qui contra ter serenissimam Cæsaream Maiestatem turbido hoc argumento utuntur.

## *Corollarium.*

Ex dictis satis superque patet; quam vanè adversarius exultet & triumphet circa hanc Capitulationem; quam vanè multa non necessaria præoccupet; quam absurde dicat, *Capitulationem hanc, tanquam posteriorem, indisputabilem & iuratam Imperii Constitutionem derogare prioribus; præsertim quando per illam reverteremur ad Jus Primævum & Commune: ut nostro casu, quo contra Jus Divinum, Naturale & Civile est, quod aliquis indicta causa, & non citatus condemnetur.* Præter enim absurda statim indicata, hoc observandum; calumniatorem adversarium ex propria sententia dicere debere, quod saltem aliquæ Imperii Constitutiones, quæ nimirum in Notoriis delictis fractæ pacis, & depravatæ monetæ, Citatione, vel nec declaratione opus esse statuunt, contra Jus Primævum, Commune, Divinum, Naturale & Civile fuerint. Quam vero modesta, & Calviniano spiritu digna, hæc in Imperium, Imperatores, Principes, Status, sit Censura, accuratius perspicient Imperator, Principes, Status.

## PROPOSITIO XII.

*Bohemi commiserunt Notorium crimen rebellionis, perduellionis, læsæ Maiestatis.*

QVæ hactenus in thesi de Notoriis dicta, etiamsi irrefutabiliter vera sint, parum tamen nos iuvarent, nisi casus, de quo agimus, esset talis, qui tanquam hypothesis sub Notoriis indubitato subsumi posset. Transituris itaque à thesi ad hypothesin, merito hæc Propositio est quasi medium quoddam seu via, per quam ad intrinsecam cognitionem criminis Palatini Comitis pervenitur. *Ne* vero quenquam lædam, certum est, quod non loquor de omnibus Bohemis: plurimi enim inter ipsos fuerunt, non rebelles, sed constantes & fideles, quorum laus eo maior est; plurimi quoque id, quod corrigere non poterant, dissimulantes; aliique item aliunde, saltem ex parte excusabiles. Nec de illis etiam, qui expressè rebelles fuerunt, propterea hic loquor, ut ipsis ipsorum facta exprobrem, sed quia propter bonum publicum causas, qualitates & connexionem rerum gestarum scire oportet. Ita enim etiam de peccatis Sanctorum post pœnitentiam loquimur.

Monendum vero & hoc, *Notorium* tale esse debere, ut non indigeat probatione; quemadmodū imprimis liquet ex Prop. 1. Præsupponitur n. de eo, quod iam publicè sit notum. Si itaq; & illa, quę à nostra parte *Notoria* esse dicuntur, verè Notoria sunt; talia quoq; esse debent. Quia tamen nihilominus etiam id quod *Notorium* seu publicè notum, non statim omnibus simpliciter notum est, simplicioribus quoq; & imperiti oribus; quia item protervi omnia negare possunt: sic requisitæ eius evidentiæ nihil derogat, quando id propterea tantū secundum factum & qualitates suas clarè proponitur & declaratur, ut utrumq; hoc genus hominum convincatur; alterum quidem, ut erudiatur; alterum verò, si sequi nolit, ut confundatur. Idē itaq; & meus scopus est in hac & seqq. aliquot Propp. quem primum in hac, quantum potero, iam assequi conabor.

1. Notum est, quod Imperatore Matthia Viennæ agente Bohemi aliqui facta conspiratione, & numeroso armatorum globo, arcem Pragensem, sedem Regiam, & Cancellariam Regni invaserunt, ibique viros Illustres Wilhelmum Slavata, & Jaroslaum Borzita, Imperatoris Matthię absentis vicem gerentes; cum Secretario Philippo Fabricio comprehensos, indicta causa ex altissimis fenestris præcipites dederūt, statimq; eos sclopetorum ictib. petierunt. 2. Hos aliosq; Regni Officiales inconsulto Domino officiis suis moverūt, atq; eorum loco Gubernatores quosdam sub nomine Directorum ex propria authoritate constituerunt. 3. Ad arma primi convolarunt, milites conscripserunt, delectus habuerunt. 4. Post multas clementissimasque Imperatoris monitiones, quib. simul, post datam fidem de privilegiis ipsorum inviolabiliter servandis, offert, se totum negotium pacificè & Jure Ordinario adhuc tractari & componi velle; illi nihilominus nec ab armis, nec à proposito suo desistere voluerunt; sed postea magis & magis omnia Regalia occupaverunt, administraverunt, & contra Imperatorem & Regem suum armata manu se tanquam hostes gesserunt. Hæc vero publicè notissima sunt, & nec ab ipsis Bohemis vel negantur, vel negari possunt. 2. Factorum vero istorum qualitates etiam publicè notæ sunt. Omnes enim, qui aliquam iuris communis notitiam habent, noverunt, quod facta hæc sint talia, ut iis crimen læsæ Maiestatis & rebellionis committatur. Namquisquis scelestam inierit factionem, de nece etiam virorum illustrium, qui consiliis & Consistorio Principis intersunt, cogitaverit (eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua affectum puniri iura voluerunt) ipse quidem ut Maiestatis reus gladio feriatur, &c. *l. quisquis. C. ad l. Jul. Maiest. Similiter l. proximum ff. ad d. leg. Jul.* Accedit circumstantia multum exaggerans, nimirum

nimirum quod id à Bohemis patratum fuerit in sede *Regia*, & in Cancellaria regni, ubi *summa securitas, ac loci ipsius observantia, religiosq; obtinere deberet*, ut in literis suis loquitur Imp. Matthias. Deinde, si illi rebelles, qui Magistratui non obediunt & resistunt; quid illi, qui etiam violentas manus eidem iniiciunt? 2. Notum est quoq; quod Gubernatores & Officiales loco movere, aliosque substituere, in Regno aliquo officium *Regis* sit, non verò subditorum; adeoq; si subditi id tentant, Maiestatem regiam minuunt, & sibi eam assumunt. 3. Qui iniussu Principis delectus habuerit, exercitum comparaverit, qui hostili animo adversus Rempb. & principem animatus fuerit, Maiestatis & perduellionis reus est. *l. lex duode.* & *l. is qui in reatu ff. ad d. l. Jul.* &c. Et quin prædicta sint plus, quam crimina rebellionis, aliquis ea solo Jure *Naturali* non potest dubitare.

3. prædicta quoq; crimina sunt tallia, ut nulla excusatione posint defendi. Prætendebant nimirum Bohemi, propterea se tali modo egisse, ut conservarent sua liberę *Religionis* privilegia, literas imprimis Maiestaticas, ipsis ab Imp. *Rudolpho* concessas, & Imp. Matthia confirmatas, quæ per *Regios* istos Officiales infringi asserebant. *Hęc a.* primo quoad rem ipsam falsissima sunt, *Tota n.* res inde orta est: quod subditi aliqui *Religionis* sub utraq; duo tēpla extruere volebant, in fundis Dominorū suorū Ecclesiasticorū, quod ipsis ex nullis privilegiis licebat; & quod propterea à *Regiis* locū tenentibus ex plena Cęsaris sententia & authoritate impediebatur; ex qua itē alterum tēplorum istorum iam solo æquatum erat. Possunt hęc alibi meliꝰ videri, imprimis in scripto illo, quod Imp. Matth: hac de re publicari fecit. Verū ista adhuc dissimulari posūt. Sit ita; quod *Regii* Officiales cōcessa & confirmata Privilegia infringere conati fuerint: nullatenus tamē propterea ab istis criminum generib. excusantur; quia nihilominus cōtra omne Jus est, ut subditi tali modo contra Magistratū sibi à *Rege* suo pręstitutum procedant. Debuissent scil. in tali casū rem ad *Regē* refere, imprimis quia tunc adhuc ipsum tanquā à Deo sibi pręstitutum *Regē*, Dominum & Magistratum clementissimum expresse per literas suas agnoscebant: ut ipse re inspecta remedium afferret: vel debuissent iuxta tenorem Privilegiorum & Constitutionum *Regni*, ad tollenda sua gravamina, si haberent, Jure ordinario uti, & rem vel per arbitros non suspectos ex utriusque *Religionis* ordinibus deligendos componere, vel instituto solenni processu prosequi & finire.

Sit item & hoc verum, quod publicè venditant, omni aditu ad regem se exclusos fuisse. At ne sic quidem ad talia extrema progredi oportuisset:

sed

ſed modum illum in cummuni aliquo *R*eipub. corpore, imprimis in Imperio uſitatum adhibere, rem nimirum ad Imperii Electores vel Principes referre, qui ſollicitudinem & prudentiam ſuam interponendo, eam pacificè componerent.

Denique, quid contra hoc prætendere poſſunt, quod propter unum, vel alterum, ſi eſſet gravamen, totum officium *R*egium ad ſe trahere, præſumſerint? Item milites conſcribere, *R*egalia occupare, incolas & Officiales in ſuam fidem recipere & cogere, alias pro hoſte habere, *R*egia authoritate conſtitutis officiũ abrogare, novus in locum ſubrogare, &c. imo & totam regiminis faciem commutare? Quid denique contra hoc, quod Imperatore & rege ſuo monente, mandante, pacificam compoſitionem offerente, illi nihilominus cœpta ſua armata manu defendere, & promovere pertinaciter laboraverint; Nihil ſane; niſi quod futilitate ſua ſtatim ſeipſum refutet.

Crimina igitur illa Bohemorum omnino ſunt *N*otoria, nec ulla ratione defendi queunt.

## PROPOSITIO XIII.

*Bohemi quoque poſt mortem Imp. & Regis Matthiæ, contra Regem ſuum, & poſtea ſimul Imperatorem FERDINANDVM, gravia & Notoria crimina rebellionis, perduellionis, & læſæ Maieſtatis commiſerunt.*

QVamvis nimirum ſtatim poſt obitum Aug. mem. Matthiæ, Rex FERDINANDUS confirmationem Privilegiorum omnium obtulerit, ea paulo poſt in pleniſſima forma confirmaverit, ipſis tranſmiſerit, inducias & ſuſpenſionem armorum, ut per meliora media pax reſtitueretur, à ſua parte indixerit: Bohemi tamen hæc non acceptantes & negligentes, arma ponere noluerunt, Regem ſuum non agnoverunt, eum tanquam hoſtem habuerunt. Quæ nam vero præterea in particulari ab ipſis facta fuerint, quia multa ſunt, goquee hic brevitati ſtudeo, non repetam: poſſunt de iis commodius videri publicæ rerum geſtarum narrationes; imprimis illa omni fide digniſſima, quæ ipſe Auguſtiſſimus Imperator FERDINANDUS in Edictali ſua caſſatione attentata novæ Bohemæ Electionis complexus eſt. Facta autem hæc & ſimilia, quæ negari non poſſunt, quando ſimul fiunt contra legitimum ſuum *R*egem, non eſt dubium, quin ſint ex dictis criminibus, quod ſimiliter negari non poteſt. Viderunt optime hanc conſequentiam ipſi Bohemi. Atque hinc illis humiliter vel ad obedientiam redeundem; & confitendum fuit,

quod

quod eſſent rebelles & perduelles, vel ipſum fundamentum negare debuerunt, FERDINANDUM ſcilicet eſſe legitimum Regem Bohemię. Rubiconem tranſierant. Poſterius elegerunt. Venimus ſic denique ad factum illud, ſingulariter & toti Orbi Notorium, quod Bohemi FERDINANDUM, ante pro Rege ab ipſis acceptatum, coronatum unctum & iuramento fidelitatis aſſeveratum repudiaverunt, & abdicaverunt novumque elegerunt. Quærendum ergo imprimis de qualitate huius facti, tum quia potiſſimum eſt, tum quia reliquorum tam antecedentium quam conſequentium qualitates inde quaſi dependent.

Dico eſſe tale, quale in poſita Propoſitione deſcribitur; idque potiſſimum duobus modis declarari poteſt, primus modus eſt iſte.

Notorium eſt, FERDINANDUM poſt acceptationem & coronationem ſuam ſemper fuiſſe legitimum Regem Bohemiæ.

Ergo Notorium eſt Bohemos illum repudiando & abdicando novumque eligendo fuiſſe rebelles, reos Maieſtatis, perduelles. Conſequentia eſt indubitata. Qui enim legitimum ſuum Regem repudiat & abdicat, novumque eligit, ſine dubio eſt rebellis, &c.

Antecedens iterum probatur dupliciter.

1. Notorium eſt ex re ipſa, Domum Auſtriacam habere Jus hæreditarium ad regnum Bohemiæ. Ergo etiam Notorium eſt FERDINANDUM ſemper poſt acceptationem & coronationem ſuam fuiſſe legitimum Regem Bohemiæ.

Conſequentia patet. FERDINANDUS enim eſt unus de Domino Auſtriaca; & non eſt quæſtio, an etiam plures fuerint de eadem Domo, qui potuerint idem Jus vel etiam propinquius prætendere. Conſtat enim ſatis, quod hac de re nulla inter Auſtriacos lis ſit; ſed quod omnes Jus hoc FERDINANDO reliquerint, atque adhuc abſque contradictione relinquant.

In tali ergo caſu illi, ad quem Jus Regni hæreditarium ſpectat, nihil amplius deeſt, quam ut acceptetur & coronetur. Fuiſſet ergo hoc modo ſaltem in principio legitimus Bohemiæ Rex. Suppoſito autem quod ſemel fuerit legitimus Rex, & quidem hæreditarius, tum certum eſt, quod reliqua omnia, quæ ipſi obiiciuntur, ſint plane frivola; & ſaltem quoad hoc nulla, quod impoſſibile ſit per illa probari poſſe, quod Rex alias legitimus & hæreditarius propterea regno ſuo excidat; uti patet ſi conferantur cum communi aliqua notitia. Nec ipſi Bohemi hoc negare poſſunt; unde ſemper ad hoc quaſi fundamentum reſpiciunt, vel quod FERDINANDUS nunquam fieret Rex, quia voluit eſſe hæreditarius; vel ſi

fuisset *R*ex liberè tantum electus, quod ceciderit suo Jure, imprimis quia, voluit privilegium, consuetudinem & legem *R*egni maximè fundamentalem evertere, ipsam scilicet liberam Electionem.

*E*sset ergo cum ipsis protervis tantum difficultas de veritate secundi Antecedentis; an scilicet Jus hæreditarium, quod Domus Austriaca in Regnum Bohemiæ prætendit, evidens sit? Istud autem infallibiliter probatur ex Aurea Bulla, antiquis privilegiis, consuetudinibus, *R*egni Constitutionibus & legibus fundamentalibus; uti insigniter & præclarè factum est in libello isto, qui inscribitur Jus HÆREDITARIUM *& legitima successio in Regno Bohemiæ*, FERDINANDI II. *Austriaci*, *&c.* ad cuius lectionem Candidum & veritatis amantem Lectorem remitte. Confirmationem enim, & ad omnia contra FERDINANDUM obiecta *R*esponsiones, ibi tales invenient, quæ ipsi abundè satisfacient, & quas adversarii nunquam, ne quoad speciem quidem, refutare poterunt.

2. Ad probandum, quod qualitas alicuius facti sit evidens & *N*otoria, non opus est, ut colligamus omnium hominum vota, etiam ignarorum & absurdorum; sed satis est, quod res in se sit talis, ut quilibet aliquam rerum notitiam habens, & lumen rationis non supprimens, eum talem esse cognoscat, vel cognoscere possit & debeat. Unde quantum ad probationem positi Antecedentis meritò in præcedente argumento & dicti libelli deductionibus quiescere possemus. Quia tamen *stultorum infinitus est numerus*, qui nec res, nec rerum circumstantias noverunt, qui rationes non viderunt, vel saltem non cordatè introspexerunt, easque intelligere vel propter tarditatem non potuerunt, vel propter proterviam noluerunt, & nihilominus omnia clamoribus suis replent; oportet aliquod medium generale ponere, quod omnes capiunt, & quod si qui negligunt, se plane temerè agere, & nulla prudentia uti ostendunt. Medium hoc tale est.

Quando legitimi & irreprehensibiles Judices aliquid habent pro *N*otorio, tunc imprudenter, & intolerabilem omnibus Judiciis iniuriam faciunt, qui id *N*otorium esse negant: saltem illi dico, quorum iudicium & authoritas non est superior, & qui maiorem rei, de qua agitur, notitiam habere nequeunt. Aliter enim contra tales sententias & declarationes Judicum loqui & sentire, est authoritatem omnium Judiciorum, ipsamque adeo humanam Societatem subvertere, & res in eum statum redigere, qui hactenus fuit ludibrio habitus, ut nimirum *Sapientes litigent*, *& stulti iudicent*,

Atqui

Atqui Collegium Electorum Francofurti ante Electionem *Regis Romanorum*, Serenisſ. FERDINANDUM Austriacum, habuit pro legitimo *Rege* Bohemiæ, atque hac ratione eum tanquam unum ex Septemviris ad Jus ſeſſionis & ſuffragii in deligendo *Romanorum Rege* admiſit; Bohemos quoque propterea habuit ſimpliciter rebellibus, (imò in talia quoque conſenſit ipſe Palatinus, ibidem per Legatum ſuum præſens; ut eo magis mirum ſit, quod eadem poſtea dictis & factis ſuis retractaverit.) Habuit iſta etiam pro Notoriis: quia ne quidem ad inſtantiam partis adverſæ, ullam examinationem ſuper hac re fieri debere iudicavit; imò etiam adverſam partem per Legatos præſentem ne audire quidem voluit, quod ſine dubio non feciſſet, niſi, quod Bohemi ſint rebelles, & FERDINANDUS legitimus *Rex* eorum, *Notorium* eſſe iudicaſſet.

Fuerunt verò Electores etiam legitimi Judices: quia primum in lis, quæ ad Electionem pertinent, perfectè repræſentant omnes Imperii ſtatus, & *quod* hac in re faciunt, ſanctum & inviolabile eſt. Maximè verò ad Electionem pertinet, & neceſſario ad eam præ requiritur, ſcire, quinam ſint Electores, qui debent adeſſe; & num illi, qui adſunt, vere ſint Electores. Si enim hoc neſciretur, electio eſſet abſurda, ut patet; & ſemper poſſet revocari in dubium. *Debent* ergo Electores habere poteſtatem ſuper hac re cognoſcendi, *quam* & in noſtro caſu exercuerunt; & quod ab ipſis cognitum eſt, non niſi maxima cum temeritate, imò non abſque ſacrilegio reprobari nequit. Deinde quia tum ſimul quo*que* repræſentabant Imperatorem, ad quem cum tali præſertim conſilio de talibus diſcordiis in Imperio primario pertinet iudicare. Fuerunt item iudices irreprehenſibiles: in *quo* enim auderet ſanus quis totius Collegii Electoralis authoritatem, integritatem, prudentiam reprehendere? Nullorum quo*que* authoritas, *qui* iam aliter iudicant, eſt ſuperior, uti patet; nec ulli melius ſcire poſſunt ſtatum & Jura Imperii, Domuumque Electoralium, *quam* ipſi Electores Imperii.

Idem *quoque* poſtea, *quando Romanorum Rex* electus, & iam ad Imperatoriam Maieſtatem exaltatus erat, ab ipſo Imperatore cum eodem Electorum Collegio confirmatum fuit, nec ulla mota *quæ*ſtio, an FERDINANDUS, iam tum Imperator, eſſet *Rex* Bohemiæ, ſed *quo*modo hoc ſuppoſito turbæ illæ Bohemicæ componi poſſent.

De ipſius Imperatoris ſæpius publicè repetita declaratione nihil dicam: quia de eius veritate adverſarii ſimul dubium monent.

Ergo FERDINANDUM esse legitimum Regem Bohemiæ, & Bohemos rebelles, *N*otorium est, nec id absque magna imprudentia & iniuria negari potest.

Potest quoque hic addi, quod non sit dubium, quin plurimi quoque alii semper idem senserint: De statibus Imperii, quoad propriam ipsorum sententiam, liquet id inde, quod tempore Electionis & Inaugurationis nemo inventus fuerit, qui potuerit haberi pro contradicente, quamvis nihilominus aliqui tum quoque in recondito pectoris sui tales fuerint; præter hoc quoque alias, pars longe maxima, quantum moraliter sciri potest, huic sententiæ adhæsit. *L*egantur quoque literæ typis evulgatæ, quibus Electores aliique Principes, non quidem tum propriè tanquam ex Collegio Judicium, sed tamen tanquam ex Collegio talium, quibus incumbit de rebus Imperii providere, Comitem Palatinum aliosque serio admoneret, Imperatorem FERDINANDUM esse verum *R*egem *B*ohemiæ, Electionem Bohemorum esse *N*otoriè illicitam & pessimi exempli, sedem non vacasse, &c. eaque tum aliunde, tum imprimis & paulo ante dicta FERDINANDI ad Collegium Electorale admissione cõfirmant.

Accedamus iam ad Secundum modum declarandi hanc abdicationem & novam Electionem Bohemicam. Pro quo suppono. *E*tiamsi adhuc *N*otorium non esset, FERDINANDUM esse legitimum & quidem hæreditarium Regem Bohemiæ, tamen neque contrarium est Notorium, scilicet illum non esse talem. Nemo enim debet esse tam absurdus, ut contra omnem rationem & communem vocem Imperii id asserat; & si quis esset, is tanquam expresse absurdus non esset attendendus. At ne ipsi quidem Bohemi hoc dicere possunt, nisi velint nationem suam totius Orbis ludibrio exponere. Constat enim saltem, quod FERDINANDUM pro *R*ege suo acceptaverint & coronaverint. Eum verò acceptare & coronare pro *R*ege suo, quem Notorium est, neque Jure hæreditario neque alio modo esse suum *R*egem, plus quam ridiculum est; nisi fortè dicere malint, se fictam quandam Comædiam in Orbis theatro exhibuisse. Si autem aliqui scivissent id esse *N*otorium, illi fuissent Bohemi. Ponatur ergo, quod sit res controversa & dubia, At nihilominus etiam sic *N*otorium est, Bohemos esse rebelles quod probatur.

1. Subditi qui in causa dubia sibi ipsis Judices esse volunt contra *R*egem, eumque per hoc Judicium ex officio suo abdicare, sunt Notorii rebelles, quod patet. 1. Hoc est enim omnem regiam Maiestatem convellere, eam ita subditis suis supponere; & talis *R*espubl. non esset Regia seu Monarchica, sed cuiusdam alterius formæ, quæ *R*egem pro larva habe-

haberet. 2. quia alias aperitur ianua ad omnes rebelliones. Nulla enim possit esse tam manifesta rebellio, quę non possit hoc prætextu palliari, quod nimirum subditi legitime contradicente etiam Domino, ita iudicaverint. 3. Leges prohibentes, ne quis sit Judex in propria causa, ut *cap. inter querelas caus. 23. quæst. 4. l. unic. C. ne quis in prop. causa. l. Julianus. ff. de Judiciis*: saltem intelligendæ sunt de subditis contra Dominos: atque de eo imprimis non potest esse dubium apud adversarios, qui nullum omnino, ne Imperatorem quidem, volunt sibi ipsi Judicem esse posse. Per tale itaque iudicium nihil fit, & subditi hoc modo Regi renunciantes sunt rebelles. At Bohemi sibi ipsis in causa dubia contra Regem Judices fuerunt, & Regem hoc modo abdicaverunt, ut ex hypothesi patet. Ergo & propter hoc rebelles fuerunt.

2. Qui alium agnoscunt tanquam supremum Dominum, & tamen sibi arrogant ea, quæ indubitatio spectant ad supremum Dominum, sine dubio sunt rebelles, & Maiestatis rei.

Atqui Status Regni Bohemiæ, sive cum Rege, sive sine Rege, agnoscunt adhuc alium, tanquam Supremum Dominum, Imperatorem scilicet, & quidem tanquam Dominum feudi, quod Notorium est; & nihilominus sibi arrogaverunt ea, quæ spectant ad Supremum Dominum. Hoc etiam Notorium est; quia in toto regno non possunt esse maiores & superiores quæstiones in Politicis, quam si inter Regem & Status Regni quęratur, an Regnum sit hæreditarium, vel non; an Privilegia & Regni ab antiquis Imperatoribus concessa ita sint intelligenda vel non; an Rex & quidem iam coronatus, iuratus, sit abdicandus vel non &c. adeoque indubitatio spectant ad Supremum Dominum. Et tamen eas diiudicare, præsumserunt Status Bohemiæ. Sunt igitur Notorii rebelles & Maiestatis rei.

Hoc vero argumentum est propterea bene notandum; quia ex eo etiam directo apparet rebellio & crimen Maiestatis contra ipsum Imperatorem; quod in aliis non est tam apertum.

3. Ponatur præterea etiam, quod Ordines Bohemiæ super hac re dubia, potuerint esse legitimi Judices, quantum est ex natura rei. Attamen eos necdum à rebellione excusari sic probatur.

Subditi qui Regem, acceptatum & coronatum, sententia invalida & nulla abdicant, sunt rebelles; etiamsi forte alias haberent potestatem hac de re iudicandi. Turbant enim illum iniustè hoc modo, quantum in ipsis est, ex possessione sua; quod est esse rebellem.

At Bohemi *R*egem acceptatum & coronatum sententia invalida & nulla abdicaverunt. Ergo fuerunt rebelles.

Minor probatur. 1. sententia lata contra legitimum suum iuramentum est invalida & nulla, quod patet ex omni iure; atque adversarius id expresse admittit. At Bohemi *R*egem acceptatum & coronatum abdicaverunt tali sententia, quæ erat contra legitimum ipsorum iuramentum. FERDINANDUS enim in Comitiis Regni, peculiariter hanc in rem conscriptis, non tantum pro Rege legitimo & hæreditario acceptatus fuit, verum etiam ei, tanquam tali, Juramentum fidelitatis præstitum. Juramentum autem hoc fuit legitimum; potuissent enim licitè iurare, quod velint agnoscere FERDINANDUM tanquam *R*egem hæreditarium, etiamsi ante plenum Jus liberæ Electionis habuissent, multo magis iam, ubi ipsi saltem agnoscere debebant, quod FERDINANDI Jus hæreditarium non esset improbabile. Non item decepti fuerunt; quia hæc res ex antiquis privilegiis & Constitutionibus agitata fuit in *R*egni Comitiis. *N*ec ipsis metus fuit illatus; uti videntur velle dicere. Unde enim fuisset metus ille gravis, & cadens in constantes viros? Et si fuisset; tamen etiam iuramentum ex tali metu præstitum servandum est *cap. ad aures. de his quæ metus causa.* nisi quis ab illo absolutus fuerit, per Magistrum Ecclesiasticum. *cap verum. de Jureiurando* quod circa Bohemos non est factum Fuit igitur sententia invalida & nulla.

Probatur. 2. Sententia, quæ in causa dubia absque Citatione, & debita causæ examinatione pronunciatur, est invalida & nulla. Hoc patet ex legibus illis supra ab adversario contra nos citatis: illæ enim de Notoriis non loquuntur, ut ibi visum, verum de dubiis. Fortius igitur vis huius argumenti in adversarios retorquetur.

At causa hæc, num *F*ERDINANDUS sit *R*ex Bohemiæ, est dubia; ut supponitur. Attamen Citatio FERDINANDI non præcessit; ut patet, nec causa debite fuit examinata; quia nec alterius partis defensio audita; nec etiam contra absentem legitimi processus habiti, unde secundum allegata & probata iudicari potuisset. Ergo fuit sententia invalida & nulla.

Patet igitur ex dictis, quidcunque largiamur & ponamus, quod adhuc Notorium sit. FERDINANDUM saltem possessione sua mansisse, & *B*ohemos contra FERDINANDUM crimina rebellionis, Maiestatis, perduellionis commisisse.

## *Obijcitur.*

*At Bohemi quoque habent sua fundamenta, quæ in publicatis suis Informationibus solidè satis demonstrarunt, adeo ut nec ab altera parte adhuc, quantum scitur, refutata sint.*

Resp. Miror vero, quod homines isti adeo sibi placeant in nugis suis, ut illas solida putent esse fundamenta, & præterea adhuc dicant necdum esse detectas. At diu ante promulgatum Bannum per aliquos loca Imperii editus fuit iste libellus de *Jure hæreditario Bohemiæ*, ex professo Ordinum Bohemiæ scripto oppositus, in quo iustitia & soliditas causæ FERDINANDI, iniustitia vero est stoliditas rebellium adeò clare demonstrantur, ut ad cuiusque sane legentis conscientiam, provocare audeamus. Si legerunt, quid turpiter negant? Si nondum legerunt, quando examinando Banno se dabant, misellos se Politicos esse ostendunt. Deinde, si etiam adhuc Bohemorum defensiones aliquid valerent, tantum exciperent contra unum & alterum argumentum ex dictis, reliqua vero manerent intacta; adeoque illi ex illis satis superque adhuc manerent rebelles.

# PROPOSITIO XIV.

## *Comes Palatinus commisit Notorium crimen violatæ pacis publicæ.*

NAm primum quoad facta, illa sunt aperta; quod nimirum Coronam Bohemiæ acceptaverit, quod eam multo tempore tanquam suam detinuerit, bello, externis fœderibus, aliisque hostilitatibus propugnaverit &c. Hæc, & speciatim illa, quæ in declaratione Banni enarrantur, ex fide publica nota sunt, manifesta sunt, celari non possunt, negari non possunt. Si ergo aliquid dubii remanet, esset inde, an etiam hæc facta sint talia, ut statim absque omni dubio quadrent ad violationem pacis publicæ; Quod ut clare videatur, aliquorum qualitates iam declarabo.

1. Qui in Imperio integri alicuius Regni, & aliquot provinciorum, possessionem non vacantē armata manua apprehendit, violat pacem Imperii. Tali n. facto mutatur pax Imperii in discordias seditiones & bella.

Palati-

Palatinus autem Regni Bohemiæ cum aliquot provinciis annexis possessionem non vacantem armata manu apprehendit. Armata manus adfuit, tum quia ipse cum multis militibus in novas ditiones advenit; tum quia ibi invenit longe plures, qui tunc omnes quasi ipsius fiebant, ipsumq; ad possessionem apprehendendam iuvabant. Quamvis tamen etiam in tali casu absque armata manu pax publica satis turbari possit; quia inde infallibiliter quasi ad arma devenitur. Non fuit autem possessio vacans; quia FERDINANDUS possidebat; uti probatum Prop. antecedente. Violavit ergo pacem publicam; & quidem Notoriè, quia hæc omnia sunt Notoria.

2. Qui violatores Pacis fovet, iuvat, promovet, imprimis si fuerint alterius rebelles subditi, ille quoque simul est violator Pacis & in easdem pœnas incidit, ut patet tum alias, tum imprimis ex plurimis Constitut. Imperii.

At Comes Palatinus Bohemos, rebelles subditos FERDINANDI Prop. præc. qui eo ipso simul etiam insignes & quasi eminento violatores pacis fuerunt, multis modis fuerit, iuvit & promovit; imo, quod omnia longè superat, se rebellium caput fecit; unde & omnia ipsorum crimina in ipsum principaliter redundarunt; atque hoc est Notorium ex facto & Prop. præced. Ergo Comes Palatinus per hoc commisit Notorium crimen violatæ pacis publicæ.

3. Eodem quoque Jure & iniuria omninò indubitatos & hæreditarios Domus Austriacæ subditos, ipsos nimirum Austriacos, ad rebellionem excitavit: vel etiamsi fortè hoc ita se necdum haberet; eos tamen manifestè rebelles, sive iam ex proprio sive ex aliorum motu, in fœdus suum, patrocinium & protectionem contra legitimum eorum Dominum FERDINANDUM suscepit.

4. Comes Palatinus itidem apud Turcas, & tales, qui à Turcis omnino dependent, S. Romani Imperii & totius Christiani nominis hostes capitales, periculosissima fœdera & auxilia sollicitavit ac obtinuit, ipsosque in Hungariam ab Imperio hactenus tanquam propugnaculum suum multo sanguine acriter defensam, machinationibus suis attraxit; quod negari non potest. Hæc autem sunt præiudicium, damnum & periculum communi paci & saluti totius Imperii nimis magna; quemadmodum nimis visum fuit, & adhuc videtur. Avertat Deus omnia mala in capita inimicorum nostrorum.

5. Ne quidem post victoriam Pragensem à tot hostilitatibus publicam pacem violantibus quiescere voluit; sed tum in Silesia, tum in Bohemia,

mia, tum alibi eas pertinaciter vrsit; nomen titulumq; Regium retinendo, Jus vsurpatum absque verecundia prætendere perrexit, & quando apparebit finis? Hac autem tantâ & tam longa pertinacia crimen suum non tantũ magis grave, sed & magis Notorium reddidit.

Possunt adjungi, quæ ipsum Bannum enumerat, quorum omnium Notoria qualitas fractæ pacis ferè pendet & ex Prop. præcedenti. Quod vero hic imprimis adjungi potuisset de bellis & hostilitatibus contra Imperatorem, remitto ad Prop. sequentem, quæ virtute sua hanc quoque simul continet.

6 In his factis simul adfuisse etiam dolum verum, ex jam dictis satis manifestum est: Nam præterquam, quod *rei per se illicitæ & prohibitæ operam navans ipso facto censeatur esse in manifesto dolo*, vt JCTI ajunt, & quidem secundum leges; id imprimis verum est, quando aliquis alteri *damnum, dat, bona rapit, vim facit*; talis enim *dolo malo facit. l. Prætor ait. §. dolo autem malo & §. doli mali. ff. vi bonorum rapt.*

Palatinus autem manifestam vim fecit eo, quod FERDINANDO, sive vt Imperatori, sive aliter, maxima damna dederit, quæ ipsius erant, rapuerit, vel saltem eum in possessione sua turbaverit. Quia enim dolus in mente delinquentis consistit, adeoque directè probari difficulter potest; sic sufficit ut ex circumstantijs, perspicuis judicijs, & evidentia ipsius facti desumatur; vti hic sunt, vis publica, coadunatio hominum, incendium, hostilis invasio territorij alieni, &c Ita expresse habet *Constitut. de Anno 1595. §. Ebener massen*. Quamvis autem hoc ita sit, & dolus vix vnquam directè probari possit, neque id requiratur: tamen & in hac ipsa causa verus dolus mentalis ante Bannum declaratum ex secreta illa Cancellaria, indubitatis Palatini aliorumq; perduellium manuscriptis literis & libellis, Imperatori multisq; alijs indubitato cognitus fuit; & jam toti mundo per publicationem talium secretorum innotuit. Dolus igitur longè magis cognitus est, & fuit, quàm requiritur. Potuissent quoque ex eadem Cancellaria Bohemis & Comiti Palatino multa alia enormia crimina objici, præter illa in his Propp. allata: id verò non facio; quia id Imperator non fecit in suo publicato Banno, pro quo ago: Imperator verò id non fecit; quia prudenter ex illis tantum procedere volebat, quæ jam tum erant quasi coram toto mundo Notoria, quæ item abundè, & plus quàm sufficientia erant.

## *Objicitur.*

PRIMO. *Crimen Comitis Palatini non esse Notorium, colligitur etiam ex ipsa Cæsarea Banni declaratione, in qua hic invenitur hæc clausula,* gestalt dieser Sachen nach / *quæ non habet locum in causis indubitatis sed dubiis potius* &c. dicit hoc esse notum ex *praxi, & ita haberi apud unum vel alterum authorem.*

*Respon.* Quale vero argumentum hoc est? Dico 1 crassum mendacium esse hanc clausulam vel semel in toto Banno inveniri 2 Etiamsi ibi esset ter vel quater, id tamen nullatenus causæ nostræ præjudicaret. Clausulæ enim istius emphasin non melius exprimere novi, quam per hanc Latinam, *Hæc cum ita se habeant* vel synonymam. Patet vero hanc significatione sua esse *Relativam*, & poni loco totius orationis præcedentis: adeoq; per se indifferens ad significandum rem, vel manifestam vel dubiam significat talem qualem præcessit. At jam aliquoties diserte Imperator præmiserat, crimina Palatini esse publicè ac coram toto mundo manifesta & Notoria: & tamen nihilominus, vbi postea diceret, *Hæc cum ita se habeant*, deberet se capere in proprio sermone.

Plus quam puerilia sunt ista, & nescire quid loquaris Apage igitur cum tuis authoribus, qui si talia habeant (inquirere enim hac de re non laboravi) tunc sibi & tibi sapiant. Notum verò est, quod communissima linguarum praxis vtatur illis verbis pro re nata: nec vnquam Jus illa ad particularem terminum determinavit.

3. Legitur quidem in Banno, nach reiffer erwegung aller gelegenheit vnd gestalt dieser Sachen / id est, *omni qualitate & forma hujus causæ maturè considerata*: Sed hæc est omnino alia phrasis, quamvis æquè parum ad rem Sine dubio enim etiam maturè est considerandum, an qualitas & forma alicujus causæ Notoria sit, vel non.

SECUNDO. *Etiam bene attendendum est ad Defensiones & Exceptiones Comitis Palatini, quibus se à tali crimine, & dolo vero à quo excusat quælibet causa, etiam levis & injusta, bene extricare poterit.*

*Respon.* Ut vero ab omnibus factis vel futuris Defensionibus & Exceptionibus nos vna vice extricemus, ago sic. Si fuit Notorium FERDINANDUM esse legitimum Regem Bohemiæ, vel saltem si Contradictorium non fuit Notorium, liquidissimum est quod omnes defensiones & Exceptiones Palatini sint frivolæ & absq; ratione. Propter nullam enim causam, qualiscunque illa sit, licuit ipsi

posset

possessionem Regni non vacantem apprehendere, etiamsi dubium fuisset (quod tamen non erat) an FERDINANDUS iustam possessionem teneret. Patet id ex omni Iure, & imprimis ex supra citatis Constitutionibus Imperij.

At fuit Notorium FERDINANDUM esse legitimum Regem Bohemiæ; vel saltem non fuit Notorium eum non esse talem; vt patet per Argumenta Prop. XIII. Ergo nullæ defensiones & Exceptiones Palatini quicquam valent.

——— *Hic murus aheneus esto.*

A dolo etiam vero Palatinus non prius se extricabit, quam hoc fundamentum subverterit; per Argum. 6. Sub hoc autem conatu ipse prius succumbet & conteretur.

Dictum illud, quod *à dolo quælibet causa excuset, etiam levis & iniusta*: tantum habet locum, quando dolus præsumitur, & quidem tum etiam hoc tantum modo; si aliquis absque culpa sua possit errore in facto, quod ex genere suo leve est & iniustum v.g. Iacobum Patriarcham, congrediente cum Rachele non sua, à dolo excusabat causa levis & iniusta; quia Rachel subdole erat supposita pro Lia, & ille ab'q; culpa ignorare poterat eam esse Rachelem. Si enim alias quælibet levis & iniusta causa à dolo excusaret, nullus posset dari dolus, & dictum istud esset levissimum & absurdum. Et præterea hunc istius dicti verum esse sensum, etiam inde patet; quod in legibus, vnde solet deduci, nimirum in *l. igitur §. potest ff. de liber. causa. l. de abigeis § quanquam. ff. de abigeis & l legis, Faviæ ff. ad leg. Faviam de plagiar.* casus enarrato jam planè similes habeantur.

Illud itaque dictum hic nihil ad rem; quia Palatini verus dolus constat ex evidenti violentia; atque ex ipsa intentione tenebatur item scire particulariter, an possessio Regni Bohemiæ fuerit legitime vacans, & an illam justo titulo possit adire. Poterat enim facile scire, quod non: quia res erat Notoria; & quia tam sæpe monitus erat ab Imperatore, Electoribus & Principibus. Eo ipso autem se nondum ex crassa ignorantia, sed ex pertinaci malitia delinquere ostendit.

TERTIO. *Eadem ratione duci posset etiam Imperatorem ipsum, itidem absq; ulteriori cognitione, pœnam fractæ pacis incurrisse. Nam similiter manifestum est, quod non tantum vim faciat in Regno Bohemiæ; sed quod etiam in Palatinatu Electorali, imprimis quoq; in Principis Ludovici Philippi territorio, quamvis omnino tertiis, quæ causa principalis non concernit introductione peregrini exercitus ex Hispanis, Italis &c. Contra Constitutiones Imperij hostilem se gerat.*

*Resp.* 1. Nolo hic quærere, an Imperator posit Bannum incurrere: nihil id ad rem præsentem. Imperatur enim nullatenus fregit pacem publicam. Habet quidem exercitum, & gerit bella in Bohemia, Palatinatu &c. De facto hoc non quæritur, sed de qualitate & jure. In quibus quàm dissimiles sint Imperator & Palatinus, ex toto decursu hujus Tractatus patet. Habuit scilicet causas justissimas & omni exceptione majores, Jus suum Regium non tantum in Bohemia defendendi, sed etiam bellum in terras Palatini comitis, non tertij in hac tragædia sed primi & Architragædi, divertendi, damnum repetendi, injuriam vindicandi &c. quibus si debita authoritas belli gerendi accedat; in quo, cum aliqua saltem ratione, potest reprehendi Imperator? & quid mirum si se defendat, ac publicum hostem iterum in suis invadat? Mirum potius, & reprehensione dignum, si id non faceret.

2. Ludovici Philippi terram quod attinet, quod neq; ista immunis fuerit, nullo modo tanquam injustum objici potest. Nam quæram an ille etiam in aliquibus deliquerit, vel annon propter fraternum crimen miseria affici potuerit. Fuerit quoad omnem causam omnino tertius & insons. At saltem tum deniq; non amplius habendus est talis; quando in ipsius terra milites inveniuntur, qui Imperatoris exercitui circumcirca justum bellum gerenti se tanquam hostes ostendunt, vti hic factum. Merito enim Imperator invadit hostes suos vbi eos invenit. Imo fuerit etiam istud adhuc factum præter omnem ipsius culpam & contra voluntatem: nihilominus tamen Imperator prudenter & justè occupat loca, in quibus hostes ipsius inveniuntur.

3. Quoad exercitum Palatinatui immissum, negari non potest, illum pro parte maxima habere milites, qui in Imperio non sunt peregrini, Germanos & Burgundos, ex Circulo nimirum Burgundico, prout tempore Imperatoris Caroli V. Imperio adjunctus fuit. Quando verò talis aliquis exercitus in finibus Burgundicis, admixtis tamen etiam aliquot simul exterrarium nationum millibus, colligitur, atq; tum totus in reliquas Imperij partes, legitima cautione præstita, ad justum bellum gerendum, Imperatoria authoritate introducitur, merito negari potest, talem exercitum habendum esse peregrinum, & fieri contra statuta Imperij. 2. Sit tamen & hoc illicitum, nisi Electorum consensu fiat. Unde vero probabit adversarius consensum hunc non adesse; cum ex actis publicis illum manifesto possimus interpretari? Quis enim Elector (Palatinus hic non facit

numerum)hac de re difficultatem movit? Nec statutum requirit, vt hac de re convocetur Collegium, sufficit igitur consensus majoris partis Electorum, etiamsi debeat esse expressus per literas habitus.
3. Quando Imperator ex ipsa Collegij Electorum sententia justam causam belli gerendi habet, vtpote in nostra casu tanquam legimus Rex Bohemiæ ab ijs agnitus; quando item ejus manifesti hostes tam interni, quam externi, adeò turbant pacem Imperij, vt interno milite non satis coerceri queant; saltem tum de expresso alio Electorum consensu non vt scrupulus injiciendus: imprimis si accedat debita moderatio & cautio, authoritas etiam Imperatoris; quæ alias posset legem interpretari, quod in tali casu non obligaret.

## PROPOSITIO XV.

### *Comes Palatinus commisit gravissima & Notoria crimina læsæ Majestatis & per duellionis.*

1. BOhemi fuerunt rebelles Notorij & Majestatis Rei per Prop. XII. & XIII. adeoque etiam hostes Imperij Atqui tales dolo, malo consilio, commeatu, armis, equis, pecunia, alia ve qua re adjuvat, Majestatis Reus est. *l. proximum. & l. cujusq; dolo. ff. ad leg. Iul. Majest.* Comes Palatinus autem Bohemos non tantum dictis modis juvit; verum & omnem ipsorum causam sibi propriam fecit, dum omnem rebellionem tam contra Imp. Matthiam, quam FERDINANDUM motam & verbis, & postea factis, tanquam Caput eorum acerrimè defendit; vti manifestum. Est igitur insigniter & Notoriè Reus Majestatis, & quidem magis adhuc quam ipsi Bohemi.

2. Etiamsi quoq; Palatinus concipiatur bella gessisse non contra FERDINANDUM, vt Imperatorem, sed vt Statum aliquem Imperij: tamen nihilominus hujus criminis Reus est, vtpote qui inconsulto, imò & contranitente Imperatore id fecerit. At lege Majestatis tenetur, & *qui injussu Principis* (Summi scilicet) *bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit. l. lex duodecim. ff. cit.* Talia enim agere, est sibi ea assumere, quæ sunt solius Summi Principis.

3. Singulariter crimen Majestatis committi indicatur *l. 1. & 3 ff. cit.* Si quis hostes populi Romani vllo consilio, nuncio, literis aut quacunq; re contra Rempubl. adjuvet. item si quis cum barbaris scelestam ineat factionem. *l. quisquis cum militib. C. eod.* Quantum vero hac in re à Comite Palatino propter diversas negociationes, machinationes, factiones, cum Gabore Transylvano & Turca ipso, indubitatis

 Impe-

Imperij hoſtibus, in magnum ejuſdem damnum factitatum fuerit, jam diu non fuit amplius occultum. Poteſt hic addi, quod fecerit vt ex amicis Imperij, Hungaris nimirum, hoſtes fierent. de quo etiam in *lit.3.cit.*

Plura facta ſpecialia, ſub hoc crimen ſpectantia, poſſunt peti ex Narrationibus Banni, alijſq; fide dignis. Tranſeo ad vltimum, quod eſt quaſi primarium, & de quo eſt potiſsima difficultas.

4. Majeſtatis & perduellionis reus eſt, *qui Hoſtili animo adverſus Principem eſt animatus. l. ult. ff. ad leg. Iul. Majeſt.* quod vt clarius fiat, magiſq; concedatur ab adverſariis explico, & pono ſic: Subditus, qui indubitatè contra Imperatorem vt Imperatorem bella gerit, vel ei vt tali injurias infert, is committit graviſsima & Notoria crimina læſæ Majeſtatis & perduellionis. Hoc veriſsimum eſt, & ab adverſariis libenter admittitur.

At Comes Palatinus indubitatè contra Imperatorem vt Imperatorem, ſeu contra FERDINANDUM vt Imperatorem, bella geſsit, eidemq; vt tali injurias intulit. Hoc vero pernegant adverſarij, quod nos eo firmius Practicis demonſtrationibus confirmabimus.

1. Qui FERDINANDO Imperatori infert injuriam perſonalem, infert etiam injuriam ejus Majeſtati, ſeu FERDINANDO vt Imperatori.

At Comes Palatinus FERDINANDO Imperatori injuriam ſaltem perſonalem intulit; dum violenter ipſum in regno & provinciis ſuis turbavit ipſius ſubditos ad rebellionē excitavit ipſumq; injuſto bello oppugnavit, per Prop. XIII. & XIV. Tales enim violentiæ non tantum alicui in rebus damnum inferunt, ſed etiam redundant in injuriam perſonalem; vti notum eſt.

Ergo etiam hæc agendo ſimul intulit injuriam ejus Imperatoriæ Majeſtati.

Major propoſitio hujus probatur ex eo; quod generaliter eadem injuria qua perſona læditur, lædatur etiam ejus honor & dignitas, quod vel patet ex eo Quicunq; ſcilicet viro honorato alapam infligit, ſemper etiam dicitur eum læſiſſe in honore ſuo, & eo magis quo fuit honoratior: ſic & ſi aliis quibuſcunq; modis perſonæ injuriam faciat. Eadem itaq; ratio quoq; eſt cum Imperatore, de quo vel de ſimilibus ſi quis id neget, omnino incurret abſurdum contra communem conceptum. Et deinde notum eſt apud Ethicos, ICTOS,

TOS, Politicos, Theologos, quod injuriæ aggraventur ex conditione personæ cui inferuntur: quod reipsa idem est.

2. Si quis pro Notoriis rebellibus & Reis læsæ Imperatoriæ Majestatis contra Imperatorem bella gerit, & quidem tum, quando Imperator eos sub obedientiam redigere & castigare intendit; gerit bella contra Imperatorem vt Imperatorem. Geritur enim tunc bellum contra Imperatorem, quatenus agit istud, quod est maximè sui officij, nimirum rebelles & Majestatis reos subjugare & punire.

Palatinus autem hoc modo contra Imperatorem bella gessit. Refero me ad claritatem rei gestæ, & dictorum præcedentium.

Ergo etiam gessit bellum contra Imperatorem vt Imperatorem.

3. Qui contra expressa & legitima mandata Imperatoris aliquid agit, & postea contra Imperatorem mandata sua propugnantem bellum gerit, id gerit contra Imperatorem, vt Imperatorem. Majestatem enim & officium Imperatoris proximè concernit, curare vt talibus mandatis suis obtemperetur, & armati transgressores armis debellentur.

At Comes Palatinus egit contra expressa mandata Imperatorem Matthiæ & FERDINANDI, quibus sub debitis pœnis vetitum erat, ne quis rebelles Bohemos pecunia, milite, apparatu bellico, alijsque modis juvaret. Nimirum & hoc fecit, & multo amplius, eo quod se tanquam Caput & Regem eorum gesserit. Et deinde etiam egit contra speciale mandatum Imperatoris FERDINANDI, quo monebatur & jubebatur, vt Regno injustè occupato cederet. Quod vero hæc mandata fuerint legitima, liquet ex statu causæ hactenus satis inspecto. Fuerunt enim Bohemi verè rebelles, quocunque modo considerentur; & possessio Regni non vacabat. Imò suffecisset etiam, si tantum non fuissent evidenter illegitimæ. Nam & in talibus Magistratui obedire oportet.

Quando itaq; Palatinus nihilominus contra Imperatorem mandata sua exequentem bellum gessit, illud contra eum vt Imperatorem gessit.

4. Qui contra voluntatem Imperatoris vult investiri novo aliquo imperij feudo, & propterea contra eum bellum gerit, id gerit contra Imperatorem vt Imperatorem. Imperator enim vt talis, est Dominus feudorum imperij: cujus itaque consensu illa occupari debent.

Palatinus

Palatinus verò contra voluntatem Imperatoris vult investiri feudo sibi novo, Regno nimirum Bohemiæ annexisq; provincijs, atque ut hoc obtineat bellum gessit.

Ergo id gessit contra Imperatorem vt Imperatorem.

5. Si quis FERDINANDO Austriaco injustè aufert, quæ sua sunt, ac si tum FERDINANDUS, simul FERDINANDUM Austriacum defendat, exequitur officium Imperatoris. Nam FERDINANDUS tanquam Imperator ex justitia & officio tenetur quemcunq; in Imperio contra violentam defendere eique quod suum est tribuere! Si ergo jam aliquis FERDINANDO, sive tanquam Austriaco, sive quocunq; alio respectu, quod suum est, auferat; idem tanquam Imperator non minus tenetur seipsum defendere, quam quemcunq; alium. Adeoq; si quis contra FERDINANDUM hoc modo, quod sui officij Imperatorij est, agentem bella gerit, ea gerit contra eum vt Imperatorem.

Atqui Palatinus FERDINANDO Austriaco injuste abstulit ac detinuit quæ sua sunt. vt patet ex Prop. XIII. Et simul contra eundem tanquam Imperatorem se defendentem bella gessit.

Ergo gessit contra FERDINANDUM vt Imperatorem.

6. Qui bella gerit, ut talia sibi arroget, quæ non tantum spectant ad Imperatorem, verum etiam ad omnes Status Imperij, illa & contra Imperatorem vt Imperatorem, & contra totum Imperium gerit. Palatinus autem talia bella gessit. Voluit enim in aliam formam mutare leges fundamentales Imperij, Auream scilicet Bullam, aliasque Constitutiones. De quo videatur ipse Imperator in suis Edictis, & Jus Bohemiæ hæreditarium. Hoc autem si fieri deberet, pertineret ad Imperatorem & omnes Status Imperij.

Gessit ergo bella contra Imperatorem vt Imperatorem, & contra totum Imperium.

Posset huc referri, quod plura sibi assumserit, quæ erant supremæ potestatis; & quod tantopere pacem & securitatem Romani Imperij violaverit. sed hæc jam per dicta ex seipsis patent.

Hæc autem si quis testibus & per processum probaret, facuiis clarum Solem illustraret. Manifesta sunt, probari non debent, excusari non possunt: Et vel talia sunt, vel nunquam vllo modo cognosci potest, an & qualis res sit.

Ergo demum Comes Palatinus gravissima & Notoria crimina læsæ Majestatis & perduellionis commisit. Cui si adjungatur, quod ipsa eadem facta fuerint contra juramentum fidelitatis, eo graviora erunt.

*Obijcitur.*

## *Obijcitur.*

PRIMO. *Comes Palatinus sæpius publicè protestatus est, se Imperatoriæ Majestati & debitæ dignitati non cupere quicquam derogatum. Immerito igitur facit Imperator, qui dignitatem eam huc pertrahat.*

*Resp.* Indigna res est; quis non succenseret Imperatori, quod Palatino non credat & quidem ipsius fidei Reformatori? Mirum, quam simplices & stupidi reliqui homines à Calvinistis habeantur! quibus aliter videntib' ipsi manifesta sua deliria tam facile persuaderi posse existiment. Euerit Palatinus alias semper verax, nec possit de eo aliter præsumi: at quis crederet ei saltem in hoc casu, vbi id se facere publicis verbis protestatur, cujus contrarium publicis factis testatur? & quis ignorat, quod talis protestatio de omni Jure sit nulla? Quam meritò autem Imperator faciat, quod dicat Majestatem Imperatoriam à Palatino læsam, irrefragabiliter ex dictis manifestum est. Putavitne fortè Palatinus se esse Pythagoram, & Imperatorem ipsius discipulum, qui crederet, quod Præceptor dicere? quia *Ipse dixit.* At ne Pythagoræ quidem discipuli in tali casu credidissent. Aut putavit fortè se cum Imperatore aliisq; acturũ, sicuti complices ipsius; cum Noribergensibus, quibus caput aliquatenus dextrè collocare (den Kopff ein wenig zu recht setzen) satis possibile existimabant, vt non aliter saperent, quam Calvinistæ vellent. Nova hæc artificia; fortè à fratribus Roseæ Crucis detecta.

SECUNDO. *Iuramentum præstatur Imperio, & Imperatori vt Imperatori, solumq; intuitu Majestatis & officij. Ergo non potest ad hanc causam dilatari & applicari.*

*Resp.* Verum est, quod Juramentum eatenus præstetur: sed retorqueo argumentum Juramentum præstatur Imperio, & Imperatori vt Imperatori, solumq; respectu Majestatis & officij. Ergo directè ad hanc causã sine dilatatione applicari debet; & manifesta veritate asseritur Palatinum contra suum Juramentum egisse; eo quod contra Imperium, Imperatorem vt Imperatorem, ejus Majestatem & officium deliquerit, vti sufficientissimè probatum est. Non sequuntur igitur objecta absurda ex juramento illo; quod nimirum Vasallus Imperij etiam simul deberet esse Vasallus Domus Austriacæ; & si quis haberet aliquam privatam prætensionem contra Imperatorem, quod neq; secum, neq; cum suis consulere, quænam legitima via hanc ad finem perducere posset: sed hoc bene sequitur; quod Imperij Vasallus sit etiam per omnia Imperatoris Vasallus; & quod

nemo Imperatori, quod suum est, auferre, nec privatam suam prætensionem contra eum armis evincere debeat.

TERTIO. Citat *aliquot authorum dicta*, quæ nos vt plurimum non negamus, & quorum plurima saltem nihil interant. Hoc tantum observandum; & nos libenter concedere; quod *injuria facta alicui directe propter officium & dignitatem, sit multò gravior, quam injuria eidem personæ illata propter inimicitiam personalem; & quod bene animadvertendum sit, qua mente quid fiat*: sed hanc sententiam pernegamus, quod privata seu personalis inimicitia simpliciter excuset à pœna rebellionis, & crimine læsæ Majestatis. Atq; etiamsi in hoc sensu contrarium ab vno vel altero authore afferatur; Nos id nihil constringit: quia nos tali authoritate fortiorem rationem, quæ est I. ad Arg. IV produximus, istaque illi satisfacimus. Quamvis item hæc sententia quoq; vera esset; tamen per eam tantum subverteretur dicta jam ratio, qua in tanto numero nos adhuc bene carere possemus, & ex reliquis intactis, id quod volumus astruere.

Quia tamen Calvinistæ, fautores & defensores Palatini, quoad hoc effugium impudentiores sunt, acrius & quibusdam aliis adhuc adjunctis refutandi erunt: Jam dudum videlicet, quasi ex communi lectione memoriter clamitant, Comitem Palatinum non agere contra FERDINANDUM tanquam Imperatorem, sed tanquam Archiducem Austriæ, Principem aliquem & statum imperij: quia nimirum agitur de re privata, Regno Bohemiæ, quod non est adjunctum Imperatoriæ Majestati; & si possidet, id possidet pro accidens &c. sed quam ridiculè subtiles sunt boni isti homines! Concipiant rem & personam vt privatas, quomodocunque velint: saltem per præcedentia constat quod FERDINANDO injuriam fecerint. At tum debent cogitare, quid hoc ipsorum effugium ipsis commune sit cum nebulonibus, sic enim inter alios percussores clericorum de Excommunicatione admoniti respondere solent: Ego verò cogitatione abstraham, non percutiam Clericum, sed tantum hominem istum, cum quo mihi negocium egregiè delumbabo. Imò sanè, hac ratione non tantum non, qui percuteret Sacerdotes, Episcopos, Cardinales, imò & Summum Pontificem, ac similiter Imperatores, Reges, sed nec qui occideret, Excommunicationem, Bannum aut crimen læsæ Majestatis incurreret. Quis enim nisi insanus vel diabolicè malitiosus non vellet facilè concipere, vel postea saltem dicere? quod non agat contra istos vt tales, seu in tali officio constitutos, sed vt homines sibi inimicos, quibus ista dignitas per accidens

cidens

cidens sit conjuncta, quod agatur de hac vel illa re extranea aut privata. Sed tamen vani ejusmodi conceptus nihil prosunt, & contrarium ex communi patet notitia: cui præter dictas rationes & ista suffragatur: quod leges de hac materia agentes sint quidem latæ intuitu dignitatis, non tamen in favorem dignitatis tum tantum, si quis eam simul in suis conceptibus includat, sed simpliciter in favorem personæ talis dignitatis. Legislatores enim satis viderunt, quod alias ipsorum leges potius in risum publicum tenderet, quam in vsum. Sensus igitur legum est, vt qui facit injuriam personæ Imperatoris quocunq; modo, sit reus Majestatis, &c.

## *Corollarium.*

Ijsdem argumentis ad probandum crimen Majestatis adductis, probatur etiam Palatinum insignem *feloniam* commisisse, quæ (quis fortè hunc terminum juris Feudalis ignoret) est ingratitudo seu infidelitas Vasalli contra Dominum feudi. Est enim impossibile, vt subditus Vasallus crimen Majestatis committens, non etiam simul Domino suo ingratus sit & infidelis: quod satis ex terminis patet; vti quoq; ex juramento fidelitatis, quod Imperatori Vasallus præstat, nimirum seu ei fidelem, obedientem, gratum & succursu promtum, nec vnquam in consilio futurum, ubi contra ejus personam; honorem, dignitatem & statum agatur, neq; in hoc consensurum, sed ipsius & S. imperij emolumentum procuraturum damnum absque mora nunciaturum & impediturum, &c. quod quam fideliter Palatinus servaverit, ex criminibus superiorib⁹ videre est. Patet etiam ex *cap. 1 quæ fuit prima causa benefic. amitt.* Et *c. 1. an ille qui interfec. fratr. Dom. sui* Feloniam hanc esse talem, propter quam feudum amittatur, & ad ipsum Dominum revertatur.

## PROPOSITIO XVI.

### *Causa, propter quam Imperator Bannum contra Comitem Palatinum declaravit, non concernit Imperatorem tanquā causa ipsius propria privata.*

1. HÆC Prop. probari posset totidem argumentis, quot duæ præcedentes. Breviter autem, & in genere sic. Causa fractæ publicæ pacis in Imperio læsæ Majestatis, & perduellionis, non concernit Imperatorem tanquam ipsius causa propria privata. Talis enim proximè concernit Imperatorem vt Imperatorem; non ergo

est causa propria privata. Et concernit commune bonum Imperij: Non igitur est vel propria vel privata.

At Imperator Bannum contra Comitem Palatinũ declaravit propter crimen fractæ pacis, læsæ Majestatis, & perduellionis. quod patet ex ipso Banni tenore; & quia jam in præcedentibus demonstratum est illum talia crimina perpetrasse, quæ talem pœnam merentur.

Causa igitur declarati Banni non est Imperatoris propria privata.

2. Certum est, quod totum negocium proximè oriatur ex schismate in regno Bohemiæ. Si ergo Imperator nullam causam seu litem privatam contra Comitem Palatinum, de hoc Regno ante Bannum declaratum habuit, aut habere debuit; certum etiam est, quod Bannum ex tali origine vel causa non fuerit declaratum. At Imperator nullam talem causam habuit aut habere debuit, quod probatur: quia nec tanquam Reus, nec tanquam Actor. Non tanquam Reus; quia sic Palatinus debuisset esse Actor. Coram quo autẽ Iudicio Palatinus Imperatorem accusavit, ipsiq; litem movit? Non item tanquã Actor: quia posidebat, per argumenta Prop. XIII Posidens autem non tenetur esse Actor: sed ipsius est se in sua possessione tueri, quando contra ipsum agitur; vti notissimum est. Si ergo Palatinus putavit, se aliquod Ius habere, quod prætenderet in Regnum Bohemiæ ipse tanquam Actor aliqua via Iuris, inter tales Principes in Imperio consueta, FERDINANDO litem movere debuit. Quia autem hoc non fecit; sed Ius suum, si quod habuisset, vi armata & publica asserere, & posidentem de facto possessione sua exturbare voluit: sine omni culpa est Imperator FERDINANDUS, qui contra violentum invasorem se in possessione sua defendere secundum omnia jura licitè allaboravit. Si ergo hæ duæ partes lite privata, seu via Iuris inter se de hoc Regno contendere debuerunt, manifestum est, quod ex culpa Palatini id non factum fuerit.

3. Etiamsi itaq; Palatinus adhuc Ius aliquod in Bohemiam prætendere potuisset: sic tamen nihilominus colligitur contra ipsum ex dictis argumentum hoc fortissimum.

Quando aliquis Princeps Imperij relicta via Iuris, quam debebat sequi, sequitur viam facti, ac Ius suum armis ex propria authoritate vult evincere; ille maximè violat commune bonum, omnem ordinem, justitiam & pacem Imperij, omnem Iurisdictionem & Majestatem; & quando contra illum propter tales causas Bannum declaratur, illud non declaratur propter causas privatas.

Atqui

Atqui Palatinus relicta via Iuris,&c.Ergo etiam maximè violavit commune bonum, &c. & Bannum non fuit declaratum contra ipsum propter causas privatas.

Multo autem adhuc gravius peccavit Palatinus, si jus FERDINANDI in Regnum Bohemiæ Notorium fuit, vti fuit, adeoq; ille Ius nullum habuit.

## *Obijcitur.*

*Ex ipsis Banni Narratis patet, atq; alias indubitatum est, principaliter agi de Regno Bohemiæ, quod Imperator prætendit esse suum per hæreditatem, & Comes Palatinus suum per legitimam Electionem. Est igitur tantum mera causa privata, & concernit Imperium solummodo consequenter, & accidentariè: quatenus nimirum ipsius interest, vt pax conservetur, & bella evitentur.*

*Respon.* Non est dubium agi de Regno Bohemiæ, non tamen principaliter eo modo, quatenus pertineat ad causam civilem seu privatam, vti patuit ex argumentis. Unde merito invertimus argumentum objectum. Ex ipsis Banni narratis patet, atq; alias manifestum est principaliter agi de Regno Bohemiæ, quatenus contra omne Ius legitimo suo Domino violenter præreptum, & quatenus eo modo publica Imperij pax violata, crimina læsæ Majestatis & perduellionis commissa fuerint. Ergo non est causa privata; sed concernit Imperatorem vt Imperatorem, & Imperium principaliter; Ius autem privatum Imperatoris tantum per modum occasionis & originis; quatenus nimirum Palatino fuit tanquam innocua petra scandali, ex qua occasionem sumsit tot enormia crimina contra Imperium & Imperatorem perpetrandi. Et mirum est adversarium adeo absq; cerebro loqui; cum manifestum sit, vix vllam causam fractæ pacis dari posse, quæ non inde oriatur, quod alter alterius bona hostiliter invadat, occupet, vel saltem viam Iuris commutet in viam facti.

Pro Confirmatione argumenti præcedentis adjunxit adversarius; *Ne minimum quidem decedere Imperio sive apud unam sive apud alteram dictarum partium Regnum Bohemiæ permaneat.* Arrigant aures reliqui Calvinistæ; si enim Patrono suo consentiant, eadem ratione debent dicere, nihil decedere Imperio, quisnam habeat ipsorum provincias & territoria; modo permaneant sub Imperio, quocunque modo ipsi eripiantur, etiam titulo injusto. Quid vero si jure ijs exuerentur? Essent hominum patientissimi, & ne lapidem quidem moverent. Quare ergo jam Palatinus?

*Flectere si nequeo Superos; Acheronta movebo.*

Nimirum perversam istam regulam tantum contra alios valere volunt,quando illis aliquid eripiunt. Sed gaudeant ipsi non diu male quæsitis : nos longè aliter & melius dicimus ; plurimum scilicet decedere Imperio si Regnum aliquod apud injustum occupatorem, qualis fuit Palatinus, permaneat, vtpote justitiam, pacem, debitam authoritatem, quæ maxima sunt Reipubl. bona.

## PROPOSITIO XVII.

*Imperator banniens Comitem Palatinum non fuit Judex in propria privata causa: imo nec fuit Iudex causis fractæ pacis, læsæ Majestatis, & perduellionis.*

1. PRior pars Propositionis probatur sic. Si Imperator banniens Palatinum fuisset Judex in propria privata causa; Palatinus fuisset bannitus, quia Imperatorem ita tali aliqua causa læserat. Quid enim alias privata causa ad Bannum? Sed Palatinus non fuit propterea bannitus; vt visum fuit in Prop. præced. Ergo nec Imperator banniens &c.

2 Si nihilominus fuisset talis Judex, it tum esset in aliqua re, quã Banni causæ proximæ, violatio pacis, crimen Majestatis, & perduellio, præsupponerent : An scilicet Imperator ipse fuerit legitimus Rex Bohemiæ; an vero Palatinus?

Sed neque hac in re Imperator fuit Iudex : quia semper præsupposuit tanquam Notorium, se esse legitimum Regem Bohemiæ. Et vere Notorium id erat; vt probatum est ad Prop. XII. adeoque nunquam hac de re judicium instituit, neque instituere debuit. Nihilo itaque amplius fecit, quam si Dux Saxoniæ, vel Dux Bavariæ punirent aliquos rebelles suos, qui vi sibi ascribere vellent ipsorum territorium aliquod indubitatum. Non enim tum dijudicarent, an illud sit ipsorum territorium : Sed hoc præsupposito pergerent ad factum & pœnas. Imo & hanc potestatem omnes privati habent, vt possint se in bonis suis absq; Iudiciis sententia defendere; quod ipsis non liceret, nisi aliquid tanquam certum præsupponerent, ad quod nullo Iudice esset opus.

3. Etiamsi quoq; adhuc declaratione aliqua à potestate Iudicis authoritatẽ habente opus fuisset, ad sciendum, an res sit Notoria, & an assertio Imperatoris sit indubitata; atq; etiamsi Imperator ipse eam

in tali sua causa facere non posset: tamen ne sic quidem in Banno vllus est defectus: quia illa declaratio sufficienter facta est Francofurti à Collegio Electorum. Adeoq; Imperator saltem inde tanquam certum supponere potuit, se esse legitimum Regem Bohemiæ, nec opus fuit (si adhuc vllo modo opus fuisset) vt ipse hunc actum Iudicis exerceret.

4. Etsi vero etiam dubium fuisset, vti non erat, an Imperator esset legitimus Rex Bohemiæ; non tamen opus fuit hanc rem ante Banni declarationem dijudicari: quia Palatinus nihilominus fractæ pacis, Majestatis & perduellionis reus est, per supra dicta: adeoque juste banniri potuit. Etiamsi itaq; Imperator hac ratione tum voluisset esse Iudex hac in re, in qua non potuisset, nihilominus tamen Bannum adhuc maneret validum; quia habet debita sua fundamenta. An tamē Imperator verè assereret se esse Regem Bohemiæ, de hoc postea legitimo modo disquiri posset. Sed hæc tantum ex superfluo.

Similiter etiam probatur posterior pars Propositionis. Notorium enim est Palatinum esse violatorem pacis, perduellem & Reum Majestatis, per Prop. XIII. & XIV. Non itaq; opus fuit, vt Imperator in his causis Iudex esset; Sed ijs pro certo suppositis pœnas debitas & à Iure statutas tantum denunciavit.

Hæc igitur cum ita se habeant, non opus est hic tractare illam quæstionem, an Imperator vere possit esse Iudex in propria privata causa; an item in causa læsæ Majestatis, ac perduellionis, quando nimirum tale quid secundum viam Iuris cognoscendum & judicandum foret. Quia enim re vera tale judicium hic non contigit, eas quæstiones, tanquam alterius loci, merito hinc reijcimus. Interim propter graves rationes non dubito, quin Imperator etiam in talibus causis judicare posit; quicquid adversarius dicat. Quin tamen sæpe conveniens sit, vt hanc rem aliis Iudicibus committat, & hac potestate sua, propter omnem omnino suspicionem declinandam, non vtatur, non inficiabor. Rationes quædam pro nostra sententia possent esse aliquibus illarum, quæ postea inveniuntur in Prop. XIX. Eas hic prius referre, applicare, deducere ex dicta causa supersedeo.

Rationes item adversarij nihil concludunt, quas breviter ita perstringo. Leges prohibentes ne quis in propria causa judicet, tantum loquuntur de privatis, & Iudicibus inferioribus, quamvis tamen in his etiam interdum Exceptio observetur. Exempla, quæ objiciuntur non faciunt Ius, quia Imperator, & quilibet alius Summus Princeps potest hac potestate sua non vti. In Regno Galliæ id nullatenus

à Rege

à Rege fieri posse, necdum Bodino satis credo. Sit tamen ita: at nihil amplius erit, quam hujus Regni Ius particulare, quod reliquis gentibus non præjudicat. Esse autem id Iuris gentium vel alterius Iuris communis, præcise nego. Bodini, & aliquorum recentiorum aliter sentientium, infirmæ authoritati parum defero.

## PROPOSITIO XVIII.

### *Comes Palatinus non est Judex Imperatoris ut Imperatoris: nec quidem est Judex Imperatoris ut Principis vel Comitis.*

UT simul videatur, quæ sit ratio absurdi hujus dubij, quod, præsertim quoad priorem partem, nulli in mentem venire potuisset, nisi qualemcunq; scandali occasionem habuisset, afferenda sunt verba Aureæ Bullæ, ex quib⁹ oritur, quæ *Tit. 5. de Iure Com. Palat.* ita ait. *Et quamvis Imperator sive Rex Romanorum, super causis, pro quibus impetitus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni, Sacri Imperij Archidapifero, Electore Principe respondere: illud tamen judicium Comes ipse Palatinus non alibi, præterquam in Imperiali Curia, ubi imperator seu Romanorum Rex præsens extiterit, poterit exercere.* Nihil autem hinc inferri contra Prop. datam videbitur postea. Jam itaq; prior pars Propositionis ita probatur.

1. Id patet ex Iure communi Canonico & Civili: Imperator præcellit in temporalibus, illos duntaxat, qui ab ipso recipiunt temporalia. *cap. Solicitæ benignitatis. de majorit. & obedient.* Palatinus autem ab Imperatore recipit temporalia tanquam Vasallus. debet ergo ipsum præcellere Imperator. Non ergo est Imperatoris Iudex: Si enim hoc esset ipse præcelleret Imperatorem.

Imperatoris Iudicium est principale, & de eo disputare vel dubitare est sacrilegium *l. disputari C. de crimin. sacrileg.* Imperatori datum est jus ut quod constituisset, ratum esset. *l. necessarium. § novissime. ff. de orig. Iuris.* Populus Romanus omne jus omnemq; potestatem suam in Imperatoriam transtulit potestatem. *l. Quod Principi. ff. de Constit. Princip. & Deo authore C. de vet. jure enucl.* Quid enim majus, quid sanctius Imperiali est Majestate! *l. si Imperialis. C. de leg. & Constitut.* In dubiis circa jus & leges occurrentibus recuriendum est ad Imperatorem & ejus interpretatio rata & indubitata haberi debet, &c. *ibid.* & *l. tanta circa nos. C. de vet. juri enucl.* Plura alia per totum jus civile occurrunt Textus ve-

tus vero hic sunt satis multi & graves: quilibet eos ad Propositionem nostram accommodare potest. Si enim Comes Palatinus est Judex Imperatoris vt Imperatoris, omnia statim allegata sunt falsa, & potius conveniunt Palatino quàm Imperatori: vel deniq;, quod verissimum, Palatinus non est talis.

2. Eadem non tantum sunt vera secundum Ius illud, quod est antiquius Aurea Bulla, sed etiam secundum Recessus seu Constitutiones Imperij, Aurea Bulla longe recentiores. Nam *Constitut. de Anno* 1530. §. Auff solch vnser / & *seq.* Imperator vocatur Primus Patronus Ecclesiæ, Primus Princeps defensor Christianorum *Item*; In eo, quod Imperator agit ex Imperatoria potestate, ejusq; plenitudine, non potest ipsi dari forma aut modus. *Constitut. de Anno* 1544. §. **Als wir aber.** Imperator Romanus est summum Caput Imperij. *Const. de Anno* 1566. §. vnd nach dem dann.

3. Idem probatur etiam ex recta ratione, Jure Divino, Naturali & Gentium. Secundum hæc enim omnia summus Princeps alicujus Republ. qua talis non potest subesse alteri Principi ejusdem Republ. tanquam Judici. Aliter enim sentire est tam manifestum absurdum, vt nesciam, an quid magis; quia contradictorum est in adjecto, vt loquuntur Philosophi. Nam primo ponitur esse summus Princeps: deinde etiam ponitur, quod qua talis habeat Judicem in eadem Republ. superiorem. At eo ipso non est summus Princeps, sed potius ille qui est ipsius Iudex. Est itaq; summus Princeps, & non est summus Princeps, eodem respectu quod absurdissimũ. Sic omnino est in nostro casu. Dicunt enim adversarij, quod Comes Palatinus sit Iudex Imperatoris vt Imperatoris. Imperator autem vt Imperator est summus Princeps seu Caput Imperij; vt ipsæ posteriores Constitutiones Imperij dicunt, &c. quis vnquam aliter somniavit? Imperator igitur per eandem consequentiam non erit Imperator. Quia autem hoc absurdum concipi nequit, & Calvinistæ nihilominus volunt Comitem Palatinum esse Iudicem Imperatoris: sic necessario debent dicere, quod Princeps ille, qui alias in Imperio dicitur Imperator, habeat quidem hoc nomen, sed cum potestate inferiore; Palatinus vero non habeat quidem nomen Imperatoris, habeat tamen potestatem supremam Summatim dicam: alter nomine, alter re erit Imperator. Quid vero est crimen læsæ Majestatis, si hoc non est? Ubi Majestas non tantum læditur, sed etiam, quantum in ipsis est, tollitur, & subvertitur.

4 Idem quoq; singulariter confirmatur ex consuetudinibus feu-

dalibus omni tempore observatis & ex ipsa natura feudorum. Constat nimirum quod Imperator sit Dominus feudorum Imperij. & quod Comes Palatinus sit inter ipsius Vasallos, & quod debeat jurare fidelitatem & obedientiam. Jam autem est contra omnem rationem, vt Vasallus sit Iudex Domini, inferior superioris, ille, qui juravit fidelitatem & obedientiam, illius, cui debet præstari fidelitas & obedientia.

Nullo modo igitur Comes Palatinus est Iudex Imperatoris vt Imperatoris.

Cum itaq; ista opinio sit tam absurda, & homine rationali prorsus indigna; mirum est valdè, quod non tantum inveniantur aliqui causidici & leguleis, Iuris Publici ignari, qui eam asserant; sed quod etiam inventi fuerint ex Principibus & Statibus Imperij, in eadem navi navigantes, qui similiter Imperium in eum *modulum transfundi* debere volunt, vt ab Imperatore ad Palatinum provocari possit.

Altera pars Propositionis breviter ita probatur. Imperator sive vt Princeps sive vt Comes non est subjectus Comiti Palatino, vt patet. Ergo Palatinus neq; Imperatoris vt Principis vel Comitis potest esse Iudex. Debet enim aliquis habere Jurisdictionem & potestatem super eum, quem judicat; alias judicium nullum est. Atq; inde non potest tantum non judicare superiorem, sed nec æqualem, vel inferiorem ipsi non subjectũ. Quæ autem jam potestas est Comitis Palatini super Sereniss. Archiduces Austriæ, aut alios Duces? Ridiculum. Loquimur autem hic tantum de potestate Ordinaria, non de ea, quam aliquis habere potest per Commisionem ab Imperatore ipso.

## *Obijcitur.*

*Aurea Bulla & Notoria consuetudo clarè indicant, quod, quando Imperator vt Imperator super aliqua re impetitus fuerit, Comes Palatinus Elector sit ipsius Iudex.*

*Resp.* Videamus primum de Aurea Bulla, cujus verba in principio Prop. sunt citata. Illa autem neq; clare id indicant, vel legenti patet: neq; probabiliter. Verba enim ista longè aliter & dextrè possunt intelligi, nec opus est ad intellectum absurdum recurrere. Dicitur nimirum; *quod imperator, sive Rex Romanorum, super causis, pro quibus impetitus fuerit, respondere habeat coram Comite Palatino Electore.* Id vero intelligi debet de causis, pro quibus impeti potest; quales non sunt illæ, de quibus ipse jam egit & constituit, vt Imperator: vti per argumenta præcedentia patuit. Intelligendum igitur est sanius de causis Imperatoris privatis, pro quibus impetitur vt Princeps vel Comes. De his

autem

autem respondere habebat coram Comite Palatino, non tanquam Iudice directo & Ordinario(hoc enim fieri non poterat per alteram partem Prop.) sed ad summum, tanquam Commissario, ab Imperatore ipso potestatem habente. Hoc autem etiam fieri potuit eodem modo coram quolibet alio Principe: quia tamē consuetudine introductum dicebatur, vt fieret coram Comite Palatino, sic id in Aurea Bulla, sub certa adhuc conditione confirmatur. Imo nec adhuc opus est vt id intelligatur de Commissario: quia Aurea Bulla non dicit, quod Comes Palatinus debeat esse *Imperatoris Iudex*, vti adversarius falso allegat; sed quod Imperator *habeat coram ipso respondere*. His autem verbis abunde satis fit, quando id fieret solummodo coram ipso, tanquam viro aliquo bono. Unde igitur tantæ oristæ? Illa solet esse rusticorum simplex & ridicula superbia, qui quando cum viro Principe etiam tantum locuti fuerint, multum singulares se esse putant super reliquos sui pagi. Hanc autem præses ista adhuc longè superat: quia nullus rusticus esset tam simplex, qui, si componeret lites de finibus agrorum inter principem & alios quosdam, tanquam vir bonus & rerum istiusmodi peritus (vti satis fieri potest) qui, inquam, propterea in tantum superbiret, vt putaret se esse Judicem sui Principis vt Principis, & ab eodem ad se in quibuscunq; causis provocari posse & debere. Injuriam igitur faciunt ipsi Comiti Palatino, qui de eo ita sentiunt & scribunt.

Sed video, vnde adversarius instare posit, & quod forte omnes ad hanc opinionem maxime manet: quia nimirum, vbi aurea Bulla Latina in principio habet *Imperator, sive Rex Romanorum*, Germanica habet, ein Käyser / als Römischer König. id est, *Imperator, sicut Rex Romanorum*. Ponatur. 1. quod verba Germanica aliud significent, quam Latina. Sed cui linguæ est credendum? Dico quod Latinæ. In ea enim Aurea Bulla authentice conscripta est: quia illo tempore leges Imperij Romani adhuc ferebantur & asservabantur in lingua Romana; in qua etiam propterea Bulla ex ipsis adversariorum Archivis producitur. Potuit igitur fieri vt Interpres Germanus inciderit in aliquod manu scriptum, quod, vbi nos jam legimus *sive*, habuerit *sicut*, atq; sic diversitas illa orta sit ex diversa lectione. Quod autem Latina vere debeat habere *sive*, non *sicut*: ipsi adversarij nullatenus negare possunt: quia, præter illam jam communissime receptam, ita quoq; habet Aurea Bulla ex Archivo Electoris Palatini olim producta. Editio, quam ego vidi, fuit impressa *Spiræ apud Iohannem Taschnerum, Anno 1611.*

2. Quia Imperium illam Germanicam explicationem non reijcit, sed tolerat; videndum et, vt potius explicetur, quam ut reijciatur. Dico itaque; quod illud *sicut* vel als/ non sit accipiendum reduplicativè, vt ita explicet terminum *Imperator.* quia illa reduplicatio, Imperator vt Rex Romanorum, vel significat idem quod Imperator vt Imperator, vel diversum quid. Si diversum quid, argumentum nihil jam ligat: quia hic quæritur de Imperatore vt Imperatore, etiam secundum terminos adversarij Si quis autem in simili casu Imperatorem vt Regem Romanorum vellet coram Palatino accusare: Imperator merito posset dicere quod talia egerit tanquam Imperator, &quod tanquã talis coram Palatino respondere non teneatur Et sic totus ille textus abiret in sensum nugatoriũ non igitur iste est sensus. Dicet quis, esse idem quod Imperator vt Imperator: at tum ego melior sum negando, quã alter affirmando, quia verba id nõ indicant, & quia tum reduplicatio ista, quoad verba, esset inconsiderata. Ex sensu autem multo minus potest quis contra nos argumentari; quia ex vi argumentorum præcedentium, sive intelligatur Imperator vt Imperator, sive vt Rex Romanorum sensus est absurdus. Intelligendum itaq; est copulativè, ut sensus sit, Imperator æque ac Rex Romanorum: sic enim conciliatur Germanicus textus & cum recta ratione, & cum textu Latino magis authentico & cum seipso; tum ne sit nugatorius, tum etiam quia in fine, vbi Latinus iterum habet, *Imperator seu Rex Romanorum*, ipse simul habet der Käyser oder Römische König. Verba quidem Germanica dictum sensum dure exprimunt, adhuc tamen exprimunt: & si debent reconciliari, alium modum præter istum non video.

3. Posito quod verba Germanica cum nostro sensu nullatenus possent reconciliari, nullus inde esset scrupulus, quod illa confidenter reijceremus, non tantum tanquam dissona à Latinis, sed & magis, tanquam dissona ab omni Iure & recta ratione. Probent tum adversarij, quod in suo sensu sint authentica. Satis itaq; refutata est objectio, quatenus loquitur de Aurea Bulla. Quod vero adversarius addit, etiam Notoriam consuetudinem clare indicare, quod Comes Palatinus sit Iudex Imperatoris, vt Imperatoris; mirarer quidem quare hoc diceret: sed quia demum video, quod tum multa dicat, quæ falsa nulla, & absurda sunt, mirari desino. Si igitur Notoria consuetudo hoc habet: plurimi saltem in Imperio ejus non erunt ignari. Ego autem, qui me ejus omnino ignarum esse fateor, libenter instrui vellem, quando vel vnum vnquam exemplum tale in rerum

natura fuerit AureaBulla quidem de suo tempore ait quod *Imperator, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino respondere habeat*: nondum tamen dicit Notoriam consuetudinem clare id indicare; & de quali consuetudine respondendi istud intelligendum sit, ante satis demonstratum est. Ea ipsa item consuetudo, quæ tum temporis fuisse dicitur jam quoq; omnino desijt: quia abhinc diu vltra seculum nullus actus dari potest, per quem fuerit continuata, quantum quidem ego adhuc cognoscere potui. Quando enim; quæso, Imperatores de causis aliquibus, coram Comitibus Palatinis speciatim responderunt? Non igitur illa consuetudo, de qua adversarius dicit, vel est, vel vnquam fuit; nec illa, quam Carolus IV. suo tempore fuisse dicit, amplius superest.

## PROPOSITIO XIX.

*Imperator contra Notorium publicæ pacis violatorem, & perduellem absq; conventu statuum Imperij, vel saltem Electorum, sententiam Banni declarare potest.*

NOn recta ratione, aut vllo Iure communi præscribitur, quod in Regiminis forma, quæ primario est Monarchica, supremum Caput non posit sententiam proscriptionis vel similem, absque habito conventu statuum, contra vnum ex Primoribus declarare; vti absq; vlteriore probatione notum est. Imperium autem est talis Regiminis forma; vti similiter certum est. Ergo nec in Imperio tale quid ab Imperatore fieri, seu Bannum declarari, est illicitum.

2. In Jure novo Imperij sæpe tanquam indubitatum refertur & supponitur, quod præter Cameram Imperialem, etiam Rex Romanorum & Imperator Bannum, contra ejusdem reos, declarare possint & debeant. Patet id ex plerisq; Constitutionibus, & Cameræ ordinationibus. Nec vllibi limitatur, quod id à Rege Romanorum vel Imperatore non debeat fieri, nisi habito super ea re conventu statuum Imperij, vel Electorum. Ergo id frustra, saltem quoad hoc Jus, jam ab aliis limitatur.

3. Quia adversarius potisimum hic contra nos agit argumento ab antiquis exemplis, quibus suam sententiam probari posse putat: Conveniens est vt iterum ipsi tale argumentum opponatur, ne appareat quasi nobis deessent exempla; ex quorum tamen magna se-

gete ego pauca tantum afferam. Imperator nimirum Fridericus ex Italia in Burgundiam veniens Henricum Ducem Saxoniæ & Bavariæ ibidem in itinere nullo statuum consilio indicto, imò dissentientibus etiam Principibus quibusdam, qui alias præsentes erant, tanquam Majestatis Reum sententia lata damnavit; ac Ducatum ejus Noricum seu Bavariæ Othoni, Saxoniæ Alberto Ducibus attribuit. *Sigonius lib. 14. histor. Anno 1175.* Christianus Archiepiscopus Moguntinus, ejusdem Imperatoris in Italiam legatus, vrbium inter se dissidentium Legatos ad se accivit, cæteris verò injurias, litesq; suas illius arbitrio remittentib⁹; Florentini in pertinacia perstiterunt. Itaque ambo tanquam communis pacis hostes ab eo proscripti, & beneficijs Imperialibus spoliati sunt. *Ibid. Anno 1172.* Jacobus Episcopus Taurinas Legatus Imper. Friderici II. Bononienses ipsius postulationibus Imperatoris nomine factis non obedientes, ex templò & stante quasi pede proscripsit. *Sigon. lib. 16. histor. Anno 1219.* Idem quoq; Fridericus Conradum Episcopum Spirensem & Metensem in Italiam legavit cum mandatis & literis, quibus ei dat potestatem, Civitates, Comites, Marchiones, &c. seu quoslibet per vniversam Italiam constitutos Banno Imperiali supponendi & extrahendi: quam potestatem quoq; Legatus ille ibidem exercuit. *Idem, lib. 17. Anno 1220.* Gottifredus Romaniolæ Comes publica sententia, Imperatoriæ Legationis auctoritate, Imperatoris nomine & suo Imolenses hostes pronunciavit: qui & consilio super hac re in Italia postulato, coram illo profitetur, se eo venisse vt Imolenses proscriberet, idq; tanquam sibi jam statutum, & tanquam Imperatoris mandatum proponit, imò & Consilio humaniter deprecante, nihilominus in proposito pergit. Unde satis apparet quod hoc consilium non propter colligenda vota ad sententiam ferendam convocaverit, sed vt ita proscriptio in ejus præsentia facta eo majoris esset efficaciæ in executione facienda. *ibid. Anno 1222.* Si autem Imperatorum Legati hoc modo proscribere, & si Imperatores Legatis ex sua authoritate potestatem proscribendi dare potuerunt: certè & ipsi talem potestatem habuerunt. Deniq; Imperator hic Fridericus ipse, Mediolanense, Bononienses, cæterosq; Lombardiæ, Romaniolæ ac Marchiæ populos Imperatorio Banno, in Italia quasi in itinere existens, proscripsit. *Sigon. ibid. Anno 1226.* Hæc exempla ex solo Sigonio, de vno vel altero Imperatore: plura de pluribus quis alibi absq; magna difficultate inveniet.

Sed

Sed quid opus excurrere ad tempora tam remota? Consulat nobis propinquiora; & neq; in his exempla deesse videbit. Unum tantum adhuc addam; quod patrum nostrorum tempore contigit, & quod maximum habuit effectum. Constat nimirum, quod Imperator CAROLUS V. extra omnem conventum Imperij & Electorum contra Joannem Fridericum Ducem Saxoniæ Electorem, efficaciter Bannum declaraverit. *Hortens. libr. 2. de bel. German.* & alibi.

4. Hoc item bene est considerandum, quod ab eo tempore postquam constitutum est judicium Cameræ, nimirum ab Anno 1495. in nullis conventibus statuum imperij vllum Bannum fuerit declaratum; vt patet ex Recessibus Imperij, in singulis Comitiis publicatis. Ergo saltem Bannum non debet referri ad tales conventus. Nec item constat quod id interim in alijs Principum conventibus factum fuerit: sed id factum, vel ab Imperatore sine conventibus, vel à Camera Imperiali. Potest huc reponi, quod *Constitut. de Anno 1566.* §. Neben erledigung. & *de Anno 1567.* §. Als wir dann / Imperator Maximilianus in plenis Comitiis referat, mandata Executionis Banni, contra aliquos manifestos pacis turbatores, & vrbis Herbipolensis violenter occupatores, à Patre suo Imperat. Ferdinando aug. mem. in imperium publica à esse: scilicet hoc factum fuerat extra conventus Principum & statuum; & tamen status id permittunt & approbant.

5. Supponitur hic ex præcedentibus, Notorium publicæ pacis violatorem Bannum latæ sententiæ eo modo incurrere; vt nullo amplius judiciali examinatio seu processu opus sit; adeoque nec quoad hoc conventu Principum opus esse. habito autem hoc, declaratio Banni nihil aliud est, quam publica denunciatio illius sententiæ, quæ jam in se certa est, vt omnibus innotescat.

Quod verò Imperator ne quidem hanc potestatem habeat, nemo sanus dixerit; nisi quis Imperatoria Majestate omnino sublata larvam velit substituere, & vel puram Aristocratiam, vel nescio quid in imperium introducere.

6. In casu quo Imperator, vel etiam alii status Imperij possunt statim initium facere ab executione, ita vt nulla opus declaratione præcedente; ibi si Imperator, quasi ex superfluo, vel vt saltem omnia melius innotescant & dirigantur, declarationem præmittere adhuc velit, non opus vt id faciat conventu Principum indicto. Omnino enim absurdum est, posse quidem fieri executionem absque

vllo

vllo conventu & declaratione, declarationem tamen non necessariam in eadem causa absq; conventu Principum fieri non posse.

In Notorio autem casu fractæ pacis statim initium fieri potest nec vlla opus est, est vlteriori declaratione per Prop. VIII. IX. & X.

Ergo, si Imperator tamen adhuc velit præmittere declarationem, vllo conventu Principum opus non est.

7. Uniti status in conventu Noribergæ Anno 1615. habito, publicè asserverunt, Imperatorem non habere Jurisdictionem in Imperij status, nisi in causæ fractæ pacis, aut feudalibus, quæ Ducatus vel Comitatus concernit. Quamvis quidem hæc restitutio omnino vana sit: transeat tamen pro hoc loco & tempore: Sumamus tantum, quod sponte admittunt. Si ergo, dum Imperatoriam jurisdictionem quam maximè restrictam volunt, nihilominus adhuc concedunt, quod saltem causas fractæ pacis complectatur; nulla quoq; ratione inficiari possunt, quod Imperator contra fractæ pacis manifestè reos sententiam Banni declaratoriam promulgare posit quam ne quidem Jura ipsa requirunt. Si enim Imperator talem jurisdictionem in causis illis non habet, nec sane vllam in illis habet.

8. Posset hæc Propositio probari omnibus argumentis, quæ allata sunt ad Prop. VII. Poterunt illa ibi videri, & huc facilè applicari.

## *Obijcitur.*

PRIMO *Multa antiqua exempla potius monstrant contrarium. Nam Conradus Bavarus; Henricus Lotharingus; Otto Palatinus & Henricus Marchio; Otto Bavarus; Oltocarus Bohemiæ Rex & Henricus Bavarus, non fuerunt Banno subjecti, nisi in conventu seu consilio Principum & statuum, uti ex Sigonio, Nauclero, & Aventino videre est.*

*Respon.* Omnino non sequitur. Olim aliquoties factæ sunt proscriptiones in conventibus Principum. Ergo id semper fieri debet. Alias enim nos etiam ab exemplis nostræ partis inferre possemus id semper debere fieri extra conventus Principum. Aliquando igitur ita factum est, aliquando non, pro occurrentibus rerum circumstantijs; atq; id adhuc fieri posse non negamus, si detur casus, in quo opus sit: videlicet si multi Principes & status essent de causa aliqua litigiosa dissentientes, atq; res videretur tendere ad arma, &c. Tunc enim communis sententia est majoris efficaciæ, & facilius cavetur vel tollitur schisma.

*Resp.* 2. Saltem multæ causæ in dictis Exemplis non sunt Notoriæ; & sic ratio nihil ligat; quia hic loquimur de Notorijs Nec quoque inde

inde sequitur, quod causæ dubiæ jam ita referendæ sint ad status imperij, sicuti olim sæpe factum est. Iam enim ferè omnes referendæ sunt ad Iudicium Camerale, quod illo tempore necdum erat constitutum. Etiamsi autem aliqua etiam exempla sint in Notorijs, parum id refert. Possunt enim hæc, si patiantur moram, etiam ad Conventus referri; non vt fiat declaratio, propter hoc enim id nullatenus est necessarium; sed vt simul fiat efficax ordinatio circa executionem.

SECUNDO. *Ex Constitut. de Anno 1566. 1567. 1495. apparet, si imprimis agendum erat de Banni declaratione, aut ejus executione, id maturè in Conventibus Imperij propositum, atq; ad perceptas statuum sententias accommodatum.*

*Resp.* Quod ad Banni declarationem attinet, loca illa sunt pro nobis, vt visum Arg. IV. atq; ab adversario falsissimè citantur. Nusquã item in vllis Constitut. quæritur; an contra hunc vel illum, Bannum sit declarandum: sed in *Constitut. de Anno* 1566. ordinatur, quomodo Executio sit instituenda. Sic quoque; si circa hoc tempus conventus aliquis fuisset, esse potisset, vel adhuc commodè esset, sine dubio etjam hac de re tractaretur. Anno 1567. tantum agitur, quomodo expensæ in Executionem factæ sint compensandæ. Nec item *Constitut. de Anno* 1495. de Banni declaratione quicquam dicitur, sed tantum de Executione. Imò illa Constitutio, concedente etiam adversario, ita pro nobis est, vt nulla declaratione in Notorijs opus esse dicat.

TERTIO *Imperator in Capitulatione sua Electoribus jurato promisit, quod in rebus arduis Imperium concernentibus, statim à principio Electorum considerationibus & consilijs uti; & quod in rebus multo minoribus, ac præsens est, unde facilè toti Imperio commune incendium & bellum oriri posit, non absq; eorundem præscitu & consensu procedere velit.*

*Ergo saltem opus fuit conventu Electorum ad Banni declarationem.*

*Resp.* Hic iterum volunt Imperatorem juramentum suum non servasse. Dictum ex fœditate sua seipsum refutans, & cujus ipsos authores meritò pudere debeat. Dico itaq; primum quia promissio generaliter est de *rebus arduis*, quod per res arduas intelligi possint vel illæ quæ non tantum quoad scopum suum sunt arduæ, sed quæ etjam habent arduum & dubium modum, per quem expediri debeant: vel illæ, quæ quoad scopum suum quidem sunt arduæ, non tamen quoad modum, quem jam habent planum, certum, & à jure ipso plenè determinatum. Atq; hinc patet, quod promissio tantum intelligenda sit de priori genere arduorum, non autem de posteriori. Intelligenda nimirum est, tanquam moralis locutio, de ijs rebus in quibus tali consilio & consideratione opus est. Et si aliter esset,

 Impera-

Imperator vix ullam causam posset dijudicare, & determinare, nisi prius recurrerit ad consilium Electorum: quod quam vitiosum esset in aliqua bene constituta Reipubl. quilibet satis videre potest. Noster itaq; casus in generali illa promissione non includitur.

*Resp.* 2 Quando subsumitur, quod etiam in ipsa Capitulatione Bohemicum negocium habeatur tanquam arduum, & in quo cum consensu Electorum procedi deberet; dico, quod potuerit merito haberi pro tali tempore Capitulationis, quia scilicet periculum erat, ne totum imperium inde communi bello & incendio involveretur, uti verba indicant. sed patet, quod etiam quoad hoc Imperator Capitulationem suam strictè observaverit. Statim enim à principio totum istud negocium Electorum Collegio pacandum commisit. Plus igitur adhuc fecit, quam promisit. Quod autem ea in re nihil factum fuerit, in culpa nec est Imperator, nec reliqui Electores; sed Comes Palatinus cum suis, qui ausibus suis antea declaratis omnem æquam compositionem sustulerunt, & qui pacem publicam, Majestatem Cæsaream tantopere violando, ac rebellionem contra tot monita Imperatoris, Electorum, Principum pertinaciter defendendo, incendium istud tam latè dilatarunt; atq; sic manifestè in pœnam fractæ pacis ab ipso Iure clare determinatam inciderunt. Jam autem Imperator nullatenus juraverat, quod in caussis Notoriis, ab ipsis Constitutionibus ita determinatis, ut nulla deliberatione indigeant, Electores consulere vellet: nec item juravit, quod quando ex præsenti negocio, manifesta aliorum culpa incendium belli per Imperium dispergeretur, id mediis omni jure licitis & determinatis, non absq; consilio Electorum restinguere vellet.

Manifestum est itaque, quod Imperator nec vi generalis nec specialis promissionis obligatus fuerit, ut expressum consilium & consensum circa hujus Banni declarationem, ab Electoribus exquireret.

*Respon* Etiamsi poneretur (quod tamen nullo modo necessarium est) quod Imperatoris promissio etiam ad talem Banni declarationem se extenderet: tamen nihilominus adhuc ipsi abundè esset satisfactum. Imperator enim non promisit, se convocaturum in rebus arduis Collegium Electorum; sed cum eorum consiliis, considerationibus, præscitu, & consensu acturum, quod satis fieri potest. imò sæpissimè debet, extra Collegium. Atqui jam ne adversario quidem est dubium, quin Electores Ecclesiastici, licet absentes in id expressè consentiunt. Hoc autem modo jam Imperator & major pars Electorum consentit. In quonam verò Dux Saxoniæ Elector

specialiter

specialiter dissenserit, meum non est scrupulose inquirere. saltem omnia ipsius facta circa hoc negocium infallibiliter testantur, Comitem Palatinum ex ipsius sententia esse Notorium pacis publicæ violatorem. Nuper etiam adhuc in Programmate aliquo per Silesiam contra turbatores Reipubl. & calumniatores Cæsaris publicato, crimen, propter quod Executio in Bohemos facta fuerat, expressè vocat Notorium Consequentia autem inde ad crimen Comitis Palatini est manifesta. Non itaq; est dubium quin circa id expressè consenserit; nec ex vllis interceptis literis contrarium proferri potest. Isto autem concesso, quid tum jura circa talem casum disponant, absque vlla Citatione deliberatione & declaratione, ex supra dictis manifestè videri potest Sit igitur, quod publicationem Banni propter alias quasdam causas Politicas, tempori secundum suam sententiam inservientes, pro tempore dissuaserit: at in hoc saltem majori parti aliter sentienti cessit: & vnde scitur, quod ante factam declarationem non consenserit? Etsi quoq; Elector Brandeburgicus non fuerit requisitus, non est ipsi facta injuria, nec id promissioni quicquam contrariatur. Quod enim adversarius præsupponit debuisse fieri Collegium, falsum est; neq; id ex eo probatur, quod præsupponit eos debuisse convenire vt judices. Ut enim hoc fiat in quibuscunq; gravioribus Imperij rebus, sæpissimè saltem, omnino inconveniens est: neq; Imperator vllo modo id promisit. Si ergo vnus non consulitur, & tamen major pars in vnum consulit, promissioni nihil derogatur. Quod adversarius hic addit de Regno Galliæ, de eo, quantum ad nos pertinet, dictum est in Prop XVII.

QVARTO *Pontifex quamvis ei à suis immensa tribuatur potentia, quod possit mutare quadrata rotundis, & judicet tanquam Deus; tamen ejusmodi graves res, non potest absq; consensu Cardinalium expedire, neq; ex se solo Cardinalem deponere aut excommunicare.*

*Resp.* Summo Pontifici à Catholicis meritò immensa tribuitur potentia, vtpote quam eidem attribuit & dedit ipse Christus Dominus: dum eum constituit *Petram, super qua fundaret Ecclesiam suam*; & Pastorem generalem, qui *pasceret oves suas*; dum quoq; ei dedit *claves Ecclesiæ, cum potestate quidcunque ligandi & solvendi.* Meritò item dicitur judicare tanquam Deus, quia Christus ipse dicit, *Qui vos audit, me audit*; quamvis tamen illius judicium adhuc longè inferioris ordinis sit, quam ipsum Divinum immediatum. Quod possit *mutare quadrata rotundis*, ad invidiam Catholicorum dictum est; si tantum per id designatur magna potentia, bene est; Reliqua

quod attinet, an solus Cardinalem deponere & excommunicare, vel alia gravia negocia expedire possit; dico quod simpliciter loquendo & de potestate absoluta id possit: quia accepit plenam potestatem solvendi & ligandi, omnesque oves pascendi. si adversarius Calvinista contrarium & quidem tanquam certum docere & obijcere velit ejus futilem audaciam rident Catholici. Possemus itaque jam hinc solvere argumentum, atq; idem suo modo in Politicis ad Imperatorem Romanum applicare. At non opus est in hoc casu eo confugere.

Concedo itaq; quod Summus Pontifex talia ordinariè absq; consensu Cardinalium agere non debeat. At inde, admissa similitudine quoad Romanum Pontificem & Imperatorem, nullatenus sequitur, quod etiam Imperator similia non debeat agere absq; consensu Principum vel Electorum. Quoad alterum enim membrum, similitudo non valet. Electores enim, alijq; Principes & status Imperij non debent comparari cum Cardinalibus, sed cum Episcopis. Ut enim isti habent ordinariam jurisdictionem in aliquam partem Ecclesiæ, Pontificiæ jurisdictioni subordinatam, & ab illa participatam; sic & illi in aliquam partem imperij, sub & ab capite Imperatore. Adeoq; Comitia generalia imperij, bene comparantur cum Conciliis generalibus Ecclesiæ; alijq; conventus particulares aliquorum Principum, bene cum Conciliis particularibus. Cardinales vero quoad rationem officij sui, melius similitudinem habere dicuntur ad Consiliarios Imperatoris. Sunt enim & ipsi Summi Pontificis Consiliarij. In hoc tamen iterum proportionem aliorum Consiliariorum plurimum excedunt, quod isti simul sint *Fratres Pontificis, eique in executione officij Pastoris coadjutores assistant, cap. Fundamenta, de elect. & elect. pot. in 6* qua ratione etiam quibuscunq; Episcopis superiores sunt. Quod vero Cardinales & Electores jam conveniant quoad Electionem Romani Pontificis & Imperatoris, parum refert. Nam olim etiam milites elegerunt Imperatorem, nec propterea eos Imperator tanquam Consiliarios & coadjutores adhibere debeat. Et Cardinales quoad primariam rationem officij sui, essent adhuc tales, quales jam sunt, etiamsi Summos Pontifex alio modo eligeretur.

Transeat itaq; talis discursus. Romanus Pontifex ardua negocia absq; consensu Cardinalium ordinariè agere non potest. Ergo nec Imperator absq; consensu Consiliariorum Curiæ suæ Cæsareæ Imperialis. Nec enim Imperator propterea dependet à Consiliariis

suis;

suis; sicut nec Summus Pontifex à Cardinalibus. Sed propterea id est, quia ante Iudicium ordinariè debent præcedere Consultationes, deliberationes, &c. quæ secundum modum humanum melius fiunt, quando aliorum sententia etiam auditur. Transeat etiam, quod ne quidem Banni præsentis declaratio absq; Consiliariorum illorum consensu decerni potuerit (quod tamen nondum est dicendum, quia propter delictum ejusmodi Notorium consultatione opus non erat) At quis dubitat talem consensum non adfuisse? Etjamsi id non exprimatur in ipso Banno, parum tamen refert: istud enim fieri in imperio nunquam moris fuit.

## PROPOSITIO XX.

### *Imperator declarando Bannum contra Comitem Palatinum non potest haberi suspectus: uti nec ipsi consentientes, Electores Ecclesiastici, & Imperiales Consiliarij.*

1. Sunt enim viri summi & integerrimi, quibus nullum crimen objici potest; quos ita ex mera libidine suspectos habere, non tantum maxima temeritas, sed nefas est. Sic enim in toto mundo nihil tutum est, quod aliquis non possit suspicionis insimulare, quando ipsi lubet. Et speciatim quoad Imperatoriam Majestatem pulchrè & augustè de illa pronunciatur *l. disputari. C. de crim. Sacrileg. Disputari de principali judicio non oportet. Sacrilegij enim instar est, dubitare de eo, quem Imperator elegerit.* Multo igitur magis adhuc sacrilegium est Imperatorem suspectum habere & dubitare an justè agat, vel an potius propter privatum commodum & passiones injustè. Sacrilegium autem adhuc plus est, quam crimen Majestatis. *l. proximum. ff. ad l. Iul. Majest.*

Qui itaq; jam de nostro Imperatore ad talia, volentes scientes, effutiunt & asserunt, maximum crimen committunt, & longe majus adhuc, quando dicunt Bannum Imperatoris esse injustum, contra rectam rationem, & nullum; uti impudenter faciunt. Nec excusant se eo quod Pontificis & Impp. præceperint, ut ipsorum Rescripta contra Ius elicita ab omnibus Iudicibus refutentur. Loquuntur enim tantum, uti manifestissimum est, quando per unius partis pre-

ces, querelas, & pravas insinuationes malè informati fuerint. Tale quid autem in casu præsenti nullo modo objici potest, in quo id quod agitur omnibus notum est.

Hoc item similiter applicari potest Electoribus, & Consiliariis Imperatoris. Nam & hi censentur esse de corpore Imperatoris: & propterea etiam illi, qui ipsis necem intentant, incidunt in crimen Majestatis ac si Imperatori intentarent; vt patet ex *Aurea Bulla, Tit. 24* & *l. Quisquis. C. ad leg. Iul. Majest.* Eadem itaq; ratione, qui ipsos dicto modo suspectos habent, incidunt in crimen Sacrilegij.

2. Nullus Iudex, in Notorio crimine sententiam ab ipso Iure latam tantam declarans, neq; Iudici hac in re consentiens, cum ratione pro suspectis haberi possunt. Hic enim de Iudice non potest esse suspicio, quia forte non benè cognovit factum, nec qualitates & Ius facti. sunt enim illa in tali casu Notoria: nec inde, quia fortè propter commodum & propter privatas passiones, Ius malè applicans iniquè agit. Est enim crimen Notorium, in quod declaratur sententia ab ipso Iure lata. Nullatenus igitur tum Ius malè applicatur.

At Comitis Palatini crimen est maximè Notorium, atq; Imperator nihil aliud facit, quam quod indubitatam Iuris sententiam publica denunciatione in omnium notitiam deducat; vti supra demonstratum est.

Ergo nec Imperator, nec ipsi consentientes vlla ratione pro suspectis haberi possunt. Imo majori cum ratione Imperator potuisset esse suspectus, quod Imperium non satis auguste, prudenter & fideliter administraret, si Iura Imperij contra manifestos illos violatores pacis non conservaret, ipsosq; debito modo puniret. Quamvis tamen ne hoc quidem in tali casu fieri debeat: In omni enim modo præsumendus est Imperator agere id quod Iura, ejusq; officium requirunt: modo non propter iniqua tempora, aliasq; circumstantias, impedimenta objiciantur, quo minus id fieri possit.

## *Objicitur contra Imperatorem.*

PRIMO. *Est Imperatoris privata causa, vel saltem est talis causa, cui etiam proprium ipsius commodum plurimum adjunctum est. Hoc autem suspicione non caret.*

*Respon.* Falsum esse, quod Imperatoris privata causa sit, propter quam contra Palatinum Bannum fuerit declaratum patet ex Prop. XVI. Verum quidem est, quod Imperatoris privata causa & commodum, hic simul intercurrant, sed ibidem visum est quod de his non judicaverit: adeoq; nec de injusto judicio suspectus esse potest.

Imo

Imo etiamsi adhuc Imperatoris causa privata ex toto incerta esset; Palatinus tamen nihilominus fractæ pacis manifestè reus est, uti similiter ex supra positis liquet. Frustra igitur agunt, qui imperatori privatam suam causam objiciunt; quæ etiamsi adhuc tanquam incerta seponatur, ipsi tamen necdum propterea à crimine excusantur, sed sontes adhuc permanent.

SECUNDO. *Imperator egit ex ultione & vindicta: uti probatur ex literis ejus ad Electorem Moguntinum, & Comitem Hohenzolleranum, ab altera parte interceptis, in quibus ait; tantum in eo situm esse, ut Bannum declaretur; ut per hoc ad scopum suum eo citius & fortius pertingere, aliosq; à Comite Palatino separare se posse existimet.*

*Respon.* Quid hic est quod accusari posit? Quare Imperator in id non potest allaborare, vt publicus perduellis cito, & fortiter subjugetur, puniatur, alijq; à tali separentur? Hæc non est illa vltio, seu vindicta mala & prohibita, quia privata, & mera pasione & absque judicio rationis; sed laudabilis & necessaria, quia publica ex justitia & pleno judicio rationis.

Insani vero sunt homines isti, qui vt accusent id quod virtutis est, ipsi se tanquam Majestatis Reos diffamant. Literas enim Imperatoris intercipere crimen læsæ Majestatis est, & felonia perfida. Agitur enim plurimum contra honorem Imperatoris. Quid enim? quando saltem alicujus privati literæ aperiuntur, quantam injuriam sibi factam esse putat; & merito. Imperatori vero non esset facta injuria? Deinde literæ Imperatoris sunt obsignatæ Sacræ Majestatis Sigillo, propterea ijs impressione à quoquam reserentur, præterquam ab illo, ad quem destinantur. Eas igitur intercipere, & contra voluntatem Imperatoris resignare, crimen sacrilegio simile est. Deniq; quando Imperator concedit securitatem seu salvum conductũ, frangens dictam securitatem incurrit crimen Majestatis. Colligitur ex *l. proximum ff. ad leg. Iul. Majest.* Est præterea prudentum sententia indubitata, & rationem habet evidentem. Nam qui frangit securitatem Imperatoris, quantum in se est, facit; ne quis amplius fidei & authoritati Imperatoris credere posit: quod damnum toti Reipub. maximũ est. Tabellariis autem seu veredariis Imperatoriis conceditur securitas plenisima: quam tamẽ nihilominꝰ violare, Calvinistis quasi locꝰ quidam, imo gloriosum factũ videtur. *Egregiam vero laudem.*

## *Objicitur contra Electores Ecclesiasticos.*

PRIMO. *Hi sunt Notorie partiales & suspecti; quia consilio & auxilio parti Im-*

*ti Imperatoris junguntur, & sine dubio per hunc modum procedendi aliquid ulterius respiciunt.*

*Resp.* Imperatorem juvant in re, cujus justitia est manifesta, & Caput istud sustentare laborant, quod Calvinistæ manifesta perduellione pessundare & conculcare præsumunt. Quid vero vlterius respicerent, præter justitiæ & Majestatis conservationem ac defensionem? Suspiciones pessimæ, calumniæ; per quas pusillas, & male conscias animas vestras indicatis.

SECUNDO. *Literis Mulhusio datis sententiam suam præmature & præcipitanter indicarunt, & Comitem Palatinum non auditum injustitiæ condemnarunt.*

*Resp.* In hoc Conventu etiam fuerunt. Dux Saxoniæ Elector, Dux Bavariæ, & Landgravius Darmstadiensis, qui similiter literis ijs subscripserunt. Hi vero omnes sunt Notoriè suspecti; quia crimen Notorium Palatini, si quid à condito mundo Notoriũ, reprobarunt.

TERTIO *Legatos Ordinum Bohemiæ Francofurti rejecerunt, & contra Ius gentium audire noluerunt.*

*Resp.* Hoc vero non concernit tres Electores Ecclesiasticos solum, sed totum Electorum Collegium; à quo istud merito est factum, quia Bohemi erant Notorij rebelles, qui tali Iuris gentium beneficio gaudere non debent. Contingit autem mihi jam, quod vnquam fore supra non putabam, homines scilicet inventum iri, qui Iudicium totius Collegij Electoralis reprehendere auderent. Inveniuntur sanè, vt video; & quidem qui dicant illud non tantum Notoriè esse suspectum, verum etiam contra *Ius* gentium egisse. Attamen id tantum dicunt, sub nomine Electorum Ecclesiasticorum quamvis benè sciant id omnes concernere; vt ita simul pateat, ipsos pudere suæ ipsius proterviæ. Re ipsa tamen vident de toto Collegio id se dicere. At possent eadem ratione dicere, FERDINANDUM Imperatorẽ mala fide à Collegio Electorũ esse electum: quod quidem, suppositis & reliquis suis assertis, melius adhuc dicerent; ne dicam, quod suppositis ijs id dicere debeant. Quis vero sanus à justa ira continere se potest, quando tam insanè, quicquid sacrosanctum est, violari videt?

## *Obijcitur contra Consiliarios Imperatoris:*

*Præses & Director Consilij Cæsarei Imperialis eo ipso Notoriè & indubitato partialem, & per omnia suspectum se reddidit, quod varias legationes in hoc negotio pro Imperatore contra adversam partem obierit, atque in primis apud Ducem Saxoniæ pro obtinendo consensu in declarationem Banni institerit. Atqui Capite suspecto totum tribunal dicitur suspectum.*

*Resp.*

Respon. Si quidem etiam causa aliqua dubia à quocunq; Judice jam examinata & decisa fuisset; is tamen nullatenus propterea suspectum se redderet, quod postea sententiæ suæ Executionem urgeret, imo faceret tum, quod Judice dignum est. Multo minus in nostra causa, quæ tam Notoria fuit, ut nulla examinatione indigeret, Præses huius Consilii integerrimus, Comes Hohenzolleranus suspectus esse potest, eo quod sententiam indubitati Juris, à Cæsare declarandam, & suo consensu firmatam, in publicũ quam primum deduci diligenti labore curaverit. Sed hominibus istis, quicquid Imperatori pro sua & Imperii salute fidele remansit, Notoriè, indubito & per omnia partiale ac suspectum est.

## PROPOSITIO XXII.

*Bannum contra Comitem Palatinum est justum & validum.*

HÆC propositio est principalis, ad quam omnes reliquæ præcedentes primario referuntur, continetq; ipsum quæsitum, Demonstratur autem isto Syllogismo principali.

Bannum declaratum à legitima potestate, propter legitimam causam, & legitimo modo, est justum & validum. De quo nullum est dubium.

Sed Bannum contra Comitem Palatinum est declaratum à legitima potestate, propter legitimam causam, & legitimo modo.

Ergo Bannum contra Comitem Palatinum est justum & validum, &c.

Assumtio habet tres partes singulatim ordine probandas.

Prima pars Assumtionis de legitima potestate probatur.

Bannum contra Comitem Palatinum est declarutum ab Imperatore: uti patet.

Ergo est declaratum à legitima potestate.

Consequentia probatur. Imperator enim est Summum Caput Imperii, cui Palatinus est subjectus, per Prop. XVIII. Habet quoque speciatim potestatem Bannum declarandi per Prop. XIX. Adversarii vero, quia demum hanc consequentiam simpliciter negare non possunt, saltem volunt variè contta eam excipere. Excipiunt primò, quod hæc causa fuerit Imperatoris propria privata, in qua Ipse non possit esse Judex: Cui opposita fuit Prop. XVI. & XVII. 2. quod non possit Bannum declarare extra Conventus Imperii vel Electorum. Contra quod Prop. XIX. 3. Quod cum consentientibus ipsi Electoribus & Consiliariis sit suspectus. contra quod Propos. XX.

Secunda pars assumtionis de legitima causa probatur.

Bannum declaratum propter grauia & Notoria crimina fractæ pac: læsæ Maiestatis, perduellionis & feloniæ, est declaratum propter legitimam causam. Quod extra dubium est.

Bannum contra Comitem Palatinum est declaratum propter grauia & Notoria crimina fractæ pacis, læsæ Maiestatis, perduellionis & feloniæ per Prop. XIV. & XV. quæ iterum pendent ex Prop. XII. & XIII. &c. Ergo Bannum contra Comitem Palatinum est propter legitimam causam.

Tertia pars Asumtionis de legitimo modo probatur.

Bannum in Notorio crimine fractæ pacis absque Citatione & examinatione Rei declaratum, est declaratum legitimo modo. Id quod probatur à I. Prop vsque ad XI.

At Bannum contra Comitem Palatinum est declaratum absque Citatione & examinatione Rei, Palatini scilicet; quod patet: idque in Notorio crimine fractæ pacis, per Prop. XIV.

Ergo Bannum contra Comitem Palatinum est declaratum legitimo modo.

Bannum itaque contra Comitem Palatinum est justum & validum. Quod demonstrandum erat.

Notandum adhuc circa Assumtionem vltimi Syllogismi, dici quidem posse, quod mandatum Imperatoris monitorium ad Comitem Palatinum etiam vim Citationis in tali casu habuerit, etiamsi fortè Citatione opus fuisset. Verum quia etiam possent dicere eadem ratione, quod tale mandatum debuisset præcedere, vel adhuc sequi Citatio, vel & negare mandatum Citationem supplere; melius esse puto, cum ipsis manere in eo quod res est; scilicet simpliciter non opus fuisse, vt Bannum præcederet Citatio.

## *Corollarium*

Ex hac Prop. & reliquis vnde illa probatur, eadem ratione deducitur, quod iustum & validum sit Bannum contra Principes, Iagerndorffium & Anhaltinum, ac Comitem Hohenloium: de quo suppositis, præcedentibus non est particulare dubium. Notorium est enim quod illi primarij fuerint, qui Palatinum publicè iuverint, & Imperatorem oppugnauerint.

PRO:

# PROPOSITIO XXII.

## *Conueniens fuit, ut Imperator per Iudices Commissarios Pragensium captiuorum causas examinaret.*

ABsolutis iis, quæ mihi pro demonstranda Iustitia Banni Imperatorij dicenda videbantur, pauca, quia materia non tantum connexa, sed se, re eadem est, iam de Executione Pragensi subjungam; cuius Iustitia similiter adversus calumniatores ex supra dictis demonstratur. Posui autem hanc Prop. vt appareret quam prudenter Imperator ad Executionem processerit; & quia superius dictum fuit, quod Bohemi fuerint Notorij rebelles, ne quis putaret hoc esse exemplum, per quod ipse Imperator etiam in Notoriis examinationem faciendam esse cofirmaret.

1. Probatur itaque, quod conveniens fuerit, ut captivorum causa examinaretur. Nam Notorium quidem erat, quod Bohemi fuerint rebelles, & quod crimen læsæ Maiestatis incurrerint, per Prop. XII. & XIII. illud tamen tantum intelligendum est de populo & communitate Bohemorum, quamvis necdum tota; atque de hoc nulla examinatio facta est. Imperator autem non tantum non volebat omnes illos promiscuè punire, quod in tanto numero inconveniens fuisset; verum etiam ex clementia sua volebat tantum paucos punire, illos nimirum, qui fuerant in rebellione primarij, capita, reliquorumque incentores & seductores; vnde & tantum illi, qui pro talibus habebantur, custodiæ tradebantur. Nondum autem plane & generaliter Notorium erat, quod omnes captiui essent tales. 2. Inter hos quoque erant gradus, ita ut non fuerit æquè criminosi, sed vnus magis quam alter, adeoq; inconveniens erat, vt omnes eandem pœnam subirent. illi autem criminum gradus non satis sciri poterant nisi facta examinatione. 3. Imo & Cæsarea Maiestas, ex singulari clementia nequidem omnes volebat punire, qui fuerant inter primarios rebelles; verum si aliquid occurreret, propter quod aliquib. parci posset, parcere volebat.

Vt igitur ista omnia fierent prudenter, & cum plena scientia, adhuc captiuorum examinationem fieri conveniens fuit.

2 Conueniens etiam fuit vt examinatio ista fieret per Iudices Commissarios. Nam 1. Imperator fuit aliis negociis grauioribus occupatus, quæ nimirum totum Imperium, Regna & prouincias concernebāt. Quia ergo ipse examinationi illi vacare non potuit, aliis eam committere debuit. 2. Imperator adhuc propter suas causas sedem Imperatoriā Viennæ aliquandiu continvare volebat, Captiui autem erant Pragæ, & transvectio eorum

rum ad Imperatorem incommoda; neq; item consultum videbatur, ut
examinatio nimis diu differretur: Ergo neque propter hoc ab Imperatore
ipso commode fieri potuit. 3. Quia denique homines nostri seculi adeo
multum suspicionibus suis inhærent, ut etiam rectissimè facta inde non
sint tuta; Sic fuit hoc medium convenientissimum, ut Imperator ab omni
suspicione vel rigoris, vel acceptionis personarum, vel undecunque alias
nata, se omnino liberaret.

## PROPOSITIO XVIII.

### *Executio contra captivos Pragenses fuit justa.*

1. EXecutio, qua prima capita & instrumenta rebellionum, ac simul
violatores Regiæ ac Cæsareæ Majestatis, genere mortis benigno,
aliisq; pœnis minoribus puniuntur, illa est justa. De hoc non pot-
sest esse dubium; quia tales delinquentes non tantum mortem merentur,
sed etiam rigidam mortem.

Atqui Executio contra captivos Pragenses fuit talis. Notorium enim
erat, quod Bohemi commiserant gravia & Notoria crimina rebellionis &
læsæ Majestatis, Regiæ nimirum & Cæsareæ, uti patet ex Prop. XII. & XIII.
Si vero necdum Notorium erat, quinam fuerint inter ipsos talia capita &
instrumenta, adeoq; per Prop. præced. examinatio adhuc fieri debebat,
illa per Commissarios Cæsareæ Majestatis sufficientissime facta est. Quod
item genera mortis fuerint benigna, patet si considerentur, & cum enor
mitate criminum comparentur.

Ergo Executio contra captivos Pragenses fuit justa.

2. Idem quoq; confirmatur inde, quia adversarii, hic ne quidem ad spe.
ciem objicere possunt; quod pro Comite Palatino objecerunt. Imperator
n. & Rex Bohem. ę (nisi hoc adhuc velint negare; & quidem tanquam No-
torium, quod absurdum) habuit potestatem super captivos; non tamen
judicavit in propria causa, ne quidem secundum ipsorum sententiam; ade-
oq; non fuit suspectus, sed alii causam examinaverunt, & sententiam tu-
lerunt. Si aũt & hos Cæsareos Commissarios velint suspectos habere, su-
spicandi apud ipsos nunquã erit finis, nisi ipsi rebelles vel alii suspicantes
constituantur Judices. Quod quidem ridiculum. Etiamsi tamen fieret: si-
quidem eo modo judicarent, quo ante judicatum, bene, sin autem contra-
rium; quid tum nos, & totum quasi mundum à suspicione non temeraria,
sed rationem habente, liberaret? Et quare vellent istos suspectos habere?

Sunt

Sunt viri integritate conspicui; & præterea, antequam examinationem aggressi fuerunt, strictum dixerunt Juramentum, se non aliter, quam secundum viam justitiæ & æquitatis progressuros.

3. Attendendum & hoc, quod ipsi captivi, factorum suorum sibi bene conscii, ad principium examinationis obsecraverint, ne secundum viam justitiæ secum procederetur, sed misericordiæ.

*Obiicitur à vulgo.*

PRIMO. *Spectaculum istud fuit crudele & tyrannicum, quo tot homines ad laniendam sunt perducti.*

R. Non intelligunt quid dicant. Si vim faciant in eo, quod spectaculum istud factum fuerit contra insontes (tum enim merito diceretur crudele & tyrannicum) videant præcedentia. Si vim faciant tantum in numero interfectorum; tum certissimum est, etiamsi numerus esset maximus, modo puniretur ob crimina mortem promerentia, uti hic factum; quod nullo modo posset dici spectaculum crudele & tyrannicum. Veruntamen in hac Executione numerus non fuit magnus, sed parvus. Non enim debet tantum considerari, quod ibi viginti & aliquot fuerint supplicio affecti, sed etiam, unde & ex quanto numero isti fuerint desumti. Quam parum videlicet, tam paucos homines malorum authores ex tot millibus, qui de rigore mortem etiam meriti fuerant, ad supplicium postulari? si tantum vellent, quod fuerit horribile spectatu; verum quidem sentirent: quia id propterea tanquam publicum exemplum, & Bohemiæ, & toti orbi fuit propositum, ut alii saltem formidine pœnæ à tantis criminibus horrorem acciperent: attamen verba id non sonant, & si id tantum velint, corrigant linguam.

SECUNDO. Aliqui etiam audent dicere, quod Imperator *captivis iam veniam promiserit, & quod sic Executio contra datam fidem fuerit iniusta.* Ast ego viles & maledicos istos calumniatores responso indignos judico. Si non velint agere cum ratione, sed ita pertinaciter maledicere, essent digni, qui instruendi traderentur Carnifici Pragensi, qui illis ex sua experientia sufficiens Magister foret.

## PROPOSITIO XXIV.

*Imperator non videtur secundum virtutem contra Comitem Palatinum & Bohemos clementius procedere potuisse, quam factum est.*

SUpposita jam Iustitia Cæsarea ex supra demonstratis, cum felici coronide agamus etiam parum & concisè de clementia.

1. Imperator obligatus fuit, vt bellum gereret contra Comitem Palatinū & Bohemos. Ergo primū quod hoc non potuit clementius agere. Si enim omisisset id, ad quod obligabatur, fuisset mollities & iniustitia.

Obligatio autem illa ad bellum probatur. 1. Verus enim Pastor tenetur oues errantes in viam reducere, & lupos gregem inuadentes fortiter repellere, Sic et verus Magistratus tenetur subditos suos rebelles ad obedientiam reducere, & violentos inuasores Reipubl. suæ fortiter repellere. Hoc est enim officium ipsius, & pro eo coram Judicio Divino strictam rationem reddere debebit.

Imperator autem fuit verus Rex Bohemiæ, & Pastor in regimine Politico. Tenebatur igitur istud suum officium facere: nec propterea fugiendum erat, quia videbat tot oues errantes, & lupos in medio ipsarum. Mercenarii enim fugiunt: bonus autem Pastor ponit animam suam pro ovibus suis. 2. Etiamsi adhuc Imperator pro sua persona voluisset & potuisset remittere jus hæreditarium, quod Domus Austriaca in Regnum Bohemiæ habet: id tamen non præiudicasset Potentissimo Regi Hispaniarum; qui sic justam causam Bohemis, & Comiti Palatino bellum inferendi habuisset; quod & eum facturum fuisse non dubito. Cogitet autem quilibet, an non imperium hac ratione in turbas absque comparatione longe maiores deuenisset Ne igitur imperium maiora incommoda pateretur; saltem propter hoc etiam Imperator debuit eligere ea, quæ minora erant. 3. Imperator est Summus Princeps & caput imperii. Debuit igitur iustitiam in Imperio conseruare; hæc enim est anima veræ cuiuslibet Reipublicæ, Debuit igitur contra violentes alienorum bonorum inuasores iterum mediis belli & armorum procedere.

2. Specialiter quod attinet ad declarationem Banni contra Comitem Palatinum; certum est ex superioribus Palatinum iam incurrisse illam pœnam ab eo tempore, quo primū se gessit tanquam Regem Bohemiæ. Potuit igitur Imperator eum iam tum habere pro Bannito, vel saltē Bannum contra eum statim publicare scitur verò q, expectauerit, quod eum prius curauerit per literas Electorum & principum monere, quod ipse cū mandato suo, adiuncta Banni interminatione, serio moneri, vt intra mensem Regno Bohemiæ cederet. Fluxit vero plus quam semestre vsque ad victoriam *Pragensem*; ille interim non parebat, Imperator tamen expectabat, *Post* victoriam quoque Pragensem nondum se submittebat, quamuis Imperator in tertium vsque mensem adhuc expectaret; sed continuo se tanquam obstinatum perduellem gerebat. Anne igitur Imperator quasi coactus fuit, ut ab ipso iure statutam & inflictam pœnam demum irrogaret?

garet? Si igitur vnquam clementia cum iustitia in puniendo misceri potest, hic certe mixta fuit. Et quando vnquam debuerit, vel deberet Bannum contra aliquem declarari, si non in tali casu?

*Accedet* huc Juramentum Imperatoris, de quo in *Prop. XI.* Juravit nimirum, quod velit Jura & Constitutiones *Imperii* observare, seditiones & violentias subuertere, &c. *Iam* itaque videbatur cum isto medio Banni amplius expectari non posse. Eodem quoque Juramento confirmatur præcedens argumentum.

3. Similiter quod attinet ad Executioné *Pragensem*, certum est quod plurimi Bohemorum de rigore juris grauissimam mortis pœnam meriti fuerant. Debuit ergo *Imperator* in casu tam graui saltem aliquod paucos, rebellionis & tot malorum authores, exemplum statuere: vt non tantum coram hoc mundo, sed etiam coram Deo rationem reddere posset; quod officium & gladium *Principis*, seu Magistratus, non frustra gesserit.

Deinde quam clemens *Imperator* fuerit in ipsa interfectorum pœna determinanda, inde satis ad oculum patet, quod ea ipsa sententia, quam Domini Commissarij criminum qualitate diligenter inspecta, in Reos audito & examinatos iustè tulerant, ab *Imperatoria* clementia plurimum fuerit mitigata. Et si ista Executio ordine parum reuoluatur & consideretur, mirum erit, si illæ pœnæ pro tantis criminibus non videantur clementes.

Deniq; illa etiam clementia fuit singularis, qua *Imperator* illis, qui in custodiis *Pragæ* permanserant, omnem pœnam condonauit.

## *Obijcitur à vulgo.*

PRIMO *Imperator saltem in Executione Pragensi debuisset parcere illis, qui erant ex ordine illustrium, Imprimis ne infamia redundaret in totam familiam.*

*R.* In crimine Maiestatis nemo defenditur priuilegio dignitatis. l. *si quis alicui. C. ad leg. Iul. Maiest.* 2. *Illustres* interfecti, fuerunt primaria capita malorum, Ergo illi imprimis debebant puniri: alias fuisset potius facta acceptio personarum. 3. Non videtur mihi dubium, quin si *Imperator*, reliquis inferioris generis punitis, superioribus illis pœnam condonasset, á longe pluribus reprehensus fuisset, per illud *Poetæ*.

*Dat veniam coruis; vexat censura columbas.*

Adeo impossibile est facere, quod omnes laudant! 4. *Infamia* non oritur pœna, sed ex delicto: adeoq; si infamia in plures redundaret, id tantum oriretur ex facto interfecti, quod amplius infectum fieri nequit.

Imò

Imò pœna, tollendo & compensando delictum, potiùs tollit infamiam. 5. Infamia vera, quæ comitatur delictum, apud nullum est, præterquam apud eum qui delictum commisit; alias certè omnes familiæ essent quoad hoc in periculoso loco. 6. Miseria aliqua, quæ similis est infamiæ, possunt etiam puniri aliqui de familia, sed filii tantum per *l. quisquis cum militibus, § filii, C. tit.* Imperatorem autem ne hoc quidem velle creditur.

SECUNDO. *Etiam ex Justitia severa potest oriri scandalum, & maior commotio in animis subditorum.*

R. Ex dictis patet, quod Justitia hæc non fuerit severa, sed clementissima: adeoque potius obligabit animos subditorum. Si tamen etiam ex simili casu, quando res & circumstantiæ per humanam prudentiam essent satis consideratæ, nihilominus adhuc aliquid sinistri aliquando fortè oriri posset; ille tamen timor non cadit in virum justum & constantem; quem tunc,

*Si fractus illabatur orbis,*
*Impavidum ferient ruinæ.*

Tunc scilicet imprimis valet illud antiquum: FIAT JUSTITIA, ET PEREAT MUNDUS.

Notand. ad Propos. XVII. circa Respons.

Si Aurea Bulla æquè authenticè in lingua Germanica promulgata fuit atque in Latina, & non tantum ut interpretatio quædam; omnino vera est conciliatio in 2. Respons. allata: si tamen præterea exemplar impressum omnino consonat cum Originali.



*DEO GLORIA,*
Justitiæ & Veritati
*VICTORIA.*


IACOBVS ZADZIK
PER DISCRIMINA